Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praxismissionari0000rpro

PRAXIS MISSIONARII

Cum opus cui titulus : *Praxis Missionarii in Oriente servata,* duo theologi quibus id commissum fuit recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.

Datum Romæ, die 2ª februarii 1911.

E. Bailly,
ex Augustinianis ab Assumptione,
Moder. gen.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 17ª februarii 1911.

E. Adam,
V. G.

R. P. ROMUALDUS SOUARN
EX AUGUSTIN. AB ASSUMPTIONE

PRAXIS MISSIONARII

IN ORIENTE SERVATA

De Sacramentis. — De Ritibus. — De Communicatione in Sacris

ALMA COLLEGE
348.41
LIBRARY
So 81
Alma, California

PARIS
LIBRAIRIE VICTOR LECOFFRE
J. GABALDA & Cie
RUE BONAPARTE, 90
1911

23160

PRAXIS MISSIONARII

IN ORIENTE SERVATA

DE BAPTISMO

1. In praesenti paragrapho tractabitur :
I. De subjecto baptismi ;
II. De ministro ;
III. De patrino ;
IV. De modo administrandi baptismum.

DE SUBJECTO

DE BAPTISMO PUERORUM INFIDELIUM JUXTA BENEDICTUM XIV.

2. — In suis litteris : *Inter omnigenas* (2 febr. 1744), *Postremo mense* (28 febr. 1747) et *Probe te meminisse*[1] (15 déc. 1757), edidit Benedictus XIV quasdam perutiles regulas a Sancto Alphonso et aliis theologis citatas et a Sancto Officio summopere commendatas.

Facile finguntur casus diversi qui diversis

1. *Bullarium, ed. Prato*, 1847, t. I, 338-343 ; t. II, 170-191 ; t. III, pars I^a, 329-340.

gaudent responsis. Ac primo sciendum est quod baptismus filiis infidelium collatus, invitis ipsis parentibus, validus est; quaeritur autem utrum sit licitus?

Juxta Sanctum Thomam, licite baptizantur pueri infidelium, praehabito consensu parentum. In hunc sensum scribit Benedictus XIV, ea ratione innixus quod haec sententia justitiae naturali est plane conformis. Si enim supponitur infantem infidelium, parentibus insciis baptizatum, tunc opus est ut provideatur catholicae infantis educationi, et potestati parentum subtrahatur. Porro puer nondum usu rationis pollens sub potestate parentum manere debet.

Si autem supponitur puerum cum suis parentibus diutius commoraturum fore, nemo non videt periculum subesse perversionis.

Eosdem tamen pueros baptizare licet in sequentibus circumstantiis

3. 1° Puer est in periculo mortis. In Instr. S. C. de P. F. (17 aug. 1777) sic se habet norma a missionariis apud Orientales adhibenda : « Non licere nisi in articulo, seu moraliter certo imminentis mortis periculo, infantes infidelium filios invitis seu insciis parentibus baptizare[1]. » Nullam novitatem prae se fert praememorata monitio, quum omnes

1. Col., t. I, p. 319, n. 522.

theologi ore unanimi asserant baptismum infanti infidelium graviter periclitanti ministrari posse, dummodo, ut dicunt, prudentiae et discretionis limites nullus praetergrediatur.

In primis scandalum quisque vitare debet; adde maximam imprudentiam in conferendo baptismo adesse, si huic motivo innixi ansam sumant infideles ut christianos recrudescenti odio prosequantur ac eosdem inhumane lacessant.

Apposite dicit P. Michel : « Propagationem fidei si spectes, minus eligit malum qui unum vel etiam plures pueros sine baptismo morituros praevidens, eos tamen non baptizat, timore ductus ne saeviatur in missionarios vel ostendatur diffidentia quae odiosum redderet ministerium et faustos effectus impediret[1].

4. Quomodo autem verificatur periculum mortis? Juxta decretum Sancti Officii, potest puer baptizari si prudenter credatur quod urgeat periculum mortis nec adsit spes eum denuo revisendi. Item licet eum baptizare, si valde prudenter dubitetur quod ex infirmitate convalescat vel vivat usque ad aetatem discretionis[2].

1. *Questions pratiques sur le Baptême*, 3e éd., Alger, 1901, p. 115.

2. a) An possint baptizari filii infidelium, in periculo non vero in articulo mortis constituti ? b) An iidem possint saltem baptizari, quando non est spes eos denuo revi-

5. II° Puer derelinquitur a suis parentibus. Filii e sua domo expulsi in posterum parentum auctoritati non subjiciuntur : eos tunc licet baptizare. Haec sentit Benedictus XIV, cujus opinio cum theologorum sententiis ac Congregationum plurimis responsis concordat. Caveat tamen missionarius ne temere agat vel imprudenter, et ideo certior fiat parentes nequidquam tentare ut filium resumant. Non enim semper expedit ut unusquisque suo jure fruatur.

6. III° Filius non est sub potestate parentum. In hac circumstantia, prout dicit Benedictus XIV, certe penes dominum jus est baptizandi filios suorum infidelium servorum. Forsan objicies id justitiae naturali adversari ob laesam auctoritatem parentum, at nullibi sufficienter probatur quod lex naturalis unice parentibus filiorum educationem committat. In praxi, sapientis est hanc opinionem non sequi, si adsit ratio scandali vel praejudiciorum quae ab odio infidelium originem haberent.

Aliquando evenit ut pueri in articulo mortis baptizati ad sanitatem revertantur et discretionis aetatem attingant.

sendi? c)Quid si valde prudenter dubitetur, quod ex infirmitate qua actu afficiuntur, non vivant, sed moriantur ante aetatem discretionis?

Resp. ad 1, 2, 3. Affirmative. (Lehmkuhl, *Theol. mor.*, Friburg, t. II, p. 800.)

Quid agendum missionariis? Diligenter inter jus et factum distinguendum. Juxta principia juris, ponuntur christiani sub potestate matris Ecclesiae quae baptismum conferendo providere debet ut in vera religione educentur. Non aufertur quidem patrifamilias legitima auctoritas cui praefertur tantum obligatio penes religiosam societatem invigilandi membrorum educationi. Et ideo cum Ecclesia optimo jure timeat ne in quibusdam circumstantiis puer baptizatus periculo perversionis exponatur, tunc illum parentum jurisdictioni subtrahere ac in viam rectam pietatis ducere potest.

7. Quae principia omnes theologi indicant duce Benedicto XIV. Attamen, praesertim hisce temporibus, praxis haud parum cum theoria discordat; et ideo haec regula aliquas modificationes patitur; quocirca, ut dicunt Cl. Marc et Lehmkuhl, aliquando satius est relinquere puerum sub auctoritate parentum.

Nonne responsio e *Collectanea* deprompta ad hodiernam difficultatem aliquantum alludit? Quaestioni sic expositae : « Quid faciendum incumbat missionario qui imprudenter et inconsiderate baptizasset omnes Missionis suae infantes quorum patres et matres adhuc infideles essent? » S. C. S. Officii sic respondit : « Teneri per se vel per alios, quantum fieri potest, instruere filios infidelium imprudenter

et inconsiderate baptizatos, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam ceteris missionariis, imo et Episcopo, quatenus opus fuerit[1]. » Haec verba *quantum fieri potest* animadvertere si velis, evidenter colliges pro qualitate temporis, personae et loci prudenter agendum fore.

8. Evenit ut filius infidelium inscius licite baptizetur; quid faciendum si postea baptismum petat?

Primum edoceatur in catholica fide, deinde in tempore opportune audiat se jamjam baptizatum fuisse. Nusquam autem sub ullo praetextu baptismum reiterare vel simulare licitum erit.

9. Baptizatur puer, rogantibus parentibus. Utrum licite baptizentur ante usum rationis filii infidelium, rogatu parentum? Juxta Constit. Benedicti XIV, jus habent parentes ut suos filios ad baptismum proponant sive sint neophyti, sive pagani, Mahumedani et Judaei. Sufficit ut missionarius duas conditiones imponat : 1° bonam fidem; 2° remotionem periculi perversionis pro puero. Revera parentes in baptismo petendo ab omni superstitionis influxu liberi erunt; ex altera autem parte, probabilis spes effulgebit hujusmodi pueros suo tempore in vera fide instruendos fore.

1. Col., t. I, p. 86, n. 254.

10. Haec pro puero de consensu parentum baptizato. Nunc quid sentiendum si unus parentum christianus sit ac pro puero baptismum petat? Prout dicit Benedictus XIV, jus baptismum petendi patri, matri, avo vel aviae reservatur, si christiani sint. Tunc licite baptizabit missionarius dummodo tamen prudentiae regulis consuluerit. Nullus enim in dubium revocare potest auctoritatem paternam a matre, avo vel avia quodam modo esse participatam.

Hanc doctrinam etiam profitentur leges humanae. Ceterum partes fidei quisque tenebit si forte oriantur querelae inter patrem infidelem et matrem vel avum christianos.

11. Est-ne standum pro eadem conclusione quoad parentes haereticos, schismaticos aut apostatas qui pro suis filiis baptismum petunt?

Ante omnia consulant missionarii et fideliter observent sapientissimas Ecclesiae praescriptiones; quocirca hi pueri, prout in casu, sacro lavacro illicite abluuntur, excepto tamen mortis periculo, et nisi spes aliqua effulgeat catholicae eorum educationis.

12. Hactenus locuti sumus de pueris qui nondum rationis usum attigerunt : caeteri ut adulti habentur et sui juris sunt ad baptismum petendum, consensu parentum non praehabito.

In iisdem sicut et in adultis ad valorem baptismi requiritur intentio sacramentum suscipiendi; censentur autem pueri usum rationis habere anno septimo nativitatis. Ceterum missionarius ante baptismum aetatem subjecti inquiret ac evidentibus documentis comperiet mentem subjecti sufficienter instructam ad notionem vel confusam sacramenti acquirendam. Insuper providere sataget ut puer in fide catholica educetur et religionis praecepta adimplere possit.

Quoties agitur de baptismo conferendo, praeter aetatem sunt alia momenta attente pensanda, et ideo recte denegatur sacramentum si praevidentur gravia pericula ac timentur irae damnosae infidelium.

Prohibet ecclesia dare baptismum, invitis parentibus, parvulis in periculo mortis positis quando adest incommodum; a fortiori ob eadem incommoda permittit Ecclesia differe baptismi collationem pro adultis qui salvari possunt per desiderium baptismi et caritatem perfectam.

CONDITIONES IN SUBJECTO REQUISITAE.

1° Validitas.

13. — Alia pro valore et alia pro baptismi in licita et fructuosa receptione requiruntur. Porro in adultis qui usu rationis pollent unum

necessarium est ad baptismi valorem, scilicet intentio sacramentum recipiendi.

Intentio est actus voluntatis ad finem tendentis. Actualis est, cum voluntas hic et nunc ad suum finem tendit. Adultus, v. gr., qui tempore praesenti baptizari cupit, habet actualem intentionem recipiendi baptismum.

Intentio vocatur habitualis, si voluntarium fuit olim habitum nec retractatum voluntate contraria; hanc intentionem habet ex gr. adultus qui aliquando baptizari voluit.

Praetera objectum voluntati propositum vel in seipso intenditur directe et immediate, vel quodam modo in alio directe volito continetur: si prius, intentio est explicita; si posterius, implicita vocatur. Prior, id est, explicita intentio, verificatur in adulto qui de baptismo sufficienter instructus, illud sacramentum recipere desiderat. E contra intentio implicita adest in eo qui licet de baptismo numquam audierit, vult tamen omnia ad salutem necessaria complere. Requiritur praeter intentionem interiorem manifestatio sive actualis sive virtualis desiderii baptismi.

14. Quibus praenotatis, videndum est quomodo missionarii cum subjecto baptizando sese gerere debent; quamobrem finguntur plures casus.

Prima hypothesis. — Titius mahumedanus, annos circiter viginti natus baptis-

mum petit. Certe in casu nullum adest dubium positivum de baptismi valore; supponitur autem Titius in bona fide versari. In hac circumstantia licite confertur baptismus. Attamen, missionarius de scandalo vel de periculo perversionis jure sollicitus non tam facile audiet preces adulti mahumedani, quippe quum apostasiae timor aliquando non sit inanis.

Duplex exsurgit difficultas : scilicet an secundum christianismi praecepta Titius vivere possit, ac deinde nonne timentur ex hoc baptismo gravia incommoda enasci quae novam persecutionem contra christianos excitabunt. In regionibus Orientis, hic timor viri gravis menti obviam venit.

15. Secunda hypothesis. — In periculo mortis, Caius baptismum petit. Si comparationem instituas, praesens casus cum praecedenti affinitatem habere videtur propter intentionem actualem baptismi hic et illic evidenter expressam. Cum autem in praesenti immineat periculum mortis, sufficiens est ratio ut missionarius nullomodo de perversione anxius, baptismum citius administret, secreto tamen et insciis fidelibus. Sub alio aspectu praecitatam hypothesim considerare oportet : Caius de baptismo confuse audiens, vult omnia ad salutem necessaria peragere. Tunc onus missionario incumbit ut articulos fidei summatim exponat

et baptismi sufficientem notionem tribuat ac demum sacramentum administret. Prout quisque videt, adest in subjecto intentio actualis et explicita.

16. Tertia hypothesis. — Sempronius adultus mahumedanus, destitutus sensibus graviter aegrotat. Quoad praesentem casum multis difficultatibus obnoxium dissentiunt auctores. Afferuntur quidem pluria decreta Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum, quae quum diversam explicationem habeant, nostro judicio quaestionem dirimere nequeunt. Quamobrem adhuc sub judice lis est et ideo benignior hodie opinio propugnatur a gravibus theologis.

Sempronius, ut diximus, sensibus destituitur, et tunc impossibilis est quaelibet manifestatio qua percipiatur baptismi desiderium; unde recurrendum est ad intentionem quae olim habita, nondum revocata fuit. Si autem hoc desiderium prius expressum fuerit, certe habet Sempronius intentionem habitualem et consequenter baptizari potest. Nec urgenda est pro tempore aliqua distinctio inter intentionem habitualem explicitam et intentionem implicitam, quum in utroque casu licita sit susceptio baptismi. Equidem missionarius in majori securitate fuisset, si quis habuisset desiderium baptismi explicitum, seu intentionem habitualem explicitam; attamen sentiet et ipse

cum Ecclesia, nempe implicitam sufficere posse. Hucusque nulla difficultas; discordant theologi in assignandis conditionibus intentionis implicitae.

17. Juxta P. Michel supponit intentio implicita aliquam cognitionem religionis christianae necnon et quamdam propensionem ad amplectendam fidem. Confirmatur pluribus responsis S. Officii. Dubio proposito : « Baptizavimus senes in periculo mortis et aliquando sensibus destitutos ; credidimus enim haud sine ratione divinam Providentiam apud illos infideles nos deduxisse ; ceterum idololatriae abrenuntiaverant, et veritatis adversarii non fuerant, quamvis ob ignorantiam fidem explicite non amplexati fuissent. » Respondit S. Officium : « Senes de quibus agitur posse licite baptizari, constito prius quod sint constituti in proximo et moraliter certo articulo mortis, et quod antecedenter abrenuntiaverint idololatriae. » (11 déc. 1850.)

Insuper quaestioni propositae : « Utrum baptizare liceat in articulo mortis adultum rudem qui ob defectum temporis vel intelligentiae, vel ob ignorantiam linguae non solum de rebus necessariis necessitate medii edoceri nequit, sed etiam actum contritionis vel attritionis pro peccatis actualibus elicere non potest? » Respondit S. C. S. Officii : « Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu

aut nutu aut alio modo eamdem dipositionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adjunctis inspectis, ita prudenter judicaverit. » (18 sept. 1850.)

Nuperrime in eumdem sensum respondit S. Officium. « Utrum licite conferatur baptismus in articulo mortis adulto mahumedano qui bona fide in errore versatur : 1° Si sensibus non destituitur, missionarius illum exhortatur ad contritionem et spem, nil dicens de mysteriis nostrae fidei quibus assensum non praeberet; 2° nil dicit missionarius huic adulto sensibus non destituto; quia ex una parte supponitur illum esse contritum, et ex altera parte imprudenter tractaretur de fidei articulis; 3° nil dicit missionarius quando adultus sensibus destituitur ? »

Ad 1° et 2° : Negative, i. e. non licere hujusmodi mahumedanis, de quibus in primo et secundo quaesito agitur sive absolute, sive conditionate administrare baptismum; et dentur decreta S. O. ad Episcopum Quebecensem sub die 25 januarii et 10 maii 1703 et Instructio S. Officii sub die 6 junii 1860 ad Vicarium Apostolicum Tche-kiang... Ad 3° De mahumedanis moribundis et sensibus jam destitutis respondendum ut in decr. S. Officii 18 septembris 1850 ad Episc. Perthensen; id est : « Si antea dederint... etc. » (S. Offic. 30 mart. 1898.)

Quae documenta, dicit P. Michel[1], involvunt aliquam religionis christianae cognitionem et quamdam propensionem ad illam amplectendam.

18. Videamus et nos quid dicant. In primis, responsio edita 11ª decembr. 1850 extra casum aliquo modo vagatur, quum senes de quibus agitur non sint *semper* sensibus destituti. Porro in praesenti hypothesi agitur de moribundo sensibus destituto. Praeterea isti senes perobscuram notionem religionis christianae habere videntur. Juxta verba petitionis « idololatriam respuerunt » et mahumedanis ac Judaeis recte assimilantur.

Nec alterum decretum citatur apposite ad rem cum hic adultus rudis sensibus non sit destitutus. Attamen quia ob ignorantiam vel temporis defectum cuilibet impossibile est de dispositionibus subjecti certitudinem sumere fatemur hunc casum ad nostram hypothesim reduci posse. Per responsum S. Officii requiritur desiderium baptismi aliqua manifestatione expressum.

Denique in decreto anni 1898, mahumedanus in errore cum bona fide versatur. In responsione S. Officii datur iterum decretum anni 1850 : « Si antea dederint signa, etc... »

In decretis autem non dicitur quaenam sint

1. *Questions pratiques sur le Baptême*, 22.

haec signa. Atqui vel implicita sunt vel explicita. Nonne sub voluntate generali omnia ad salutem necessaria peragendi includitur implicite signum desiderium baptismi involvens? Quare autem non sufficiet haec intentio implicita in casu necessitatis? Ex hoc quod decisio Sancti Officii melius consonare videtur cum opinione P. Michel quae est communiter recepta, num quis recte erueret thesim contrariam sustineri non posse? Minime. Tutior est prior opinio et ideo in praxi sequenda. Attamen in casu necessitatis, v. gr. moribundi sensibus destituti qui antea baptismum non recusavit explicite, videtur quod baptismus sub conditione conferri deberet, quia primo non est certum in tali circumstantia sacramentum invalidum esse, ac secundo in extremis extrema sunt tentanda. Vel moribundus ad sanitatem reversus baptismum petit, et tunc denuo sub conditione baptizatur, vel baptismum recipere non vult, et tunc demonstratur eumdem defectum intentionis exstitisse ante primam caeremoniam et valori sacramenti offuisse [1].

2° Liceitas.

19. Quoad liceitatem in adulto non sufficit intentio; requiruntur etiam fides, spes ac pec-

1. *Diction. de Théol.*, t. II, p. 280. Cfr Pesch, Génicot, Lehmkuhl.

catorum detestatio. Si quaelibet harum conditionum deficiat, baptizatur subjectum, non autem infunditur gratia nec remittuntur peccata.

In hac quaestione ab omnibus theologis ex professo tractata, satius ducimus non immorari. Haec tamen notanda quoad contritionem, subjectum baptismi bona injusta restituet, scandalum vel damnum proximo illatum reparabit, occasionem peccati aufugiet; scilicet, ut paucis dicam, omnia peraget ad veram contritionem requisita.

Addes aliquam religionis christianae cognitionem; etenim juxta Rituale, si quis adultus sit baptizandus, debet prius in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui.

20. In quo instrui debet adultus? In Instructione S. C. de Prop. F. omnes conditiones sedulo assignatas facile reperies. « Cum agitur de ordinariis casibus conversionis adultorum, et excepto mortis eorum periculo, haec prae oculis a missionariis habeantur, antequam eos ad Baptismum admittant, nempe, ut catechumeni 1° cognoscant principalia mysteria fidei, symbolum, orationem dominicam, Decalogum, praecepta Ecclesiae, effectum Baptismi, actus virtutum theologalium earumque motiva... 2° admoneantur de obligatione restituendi, si quid injuste perceperint usuris aut alia ratione, et damna reparandi, si quae per culpam gravem intulerint... 3° in fide et

christianis moribus longo tempore exerceantur et crebra examinatione probentur. » (18 oct. 1883.)

21. — Optime affertur haec responsio pro casibus ordinarie contingentibus ; aliquando autem occurrunt salebrosae circumstantiae. Quid v. gr., de adulto moribundo qui sensibus non caret? Praxim sequendam intimant multa et momentosa S. C. responsa. Datur prima (25 jan. 1703) ad Episc. Quebecensem. — « Quaeritur utrum antequam adulto conferatur baptisma, minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius. An non sufficeret si moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convalescet, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit? R. — Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis (S. C. Officii)[1]. »

22. — Eadem die, hanc materiam pertractans cum Ep. Quebec., S. C. S. Officii declarabat « Non licere (baptizare adultum) si missionarius sit moraliter certus (prout in dubio

1. Col., t. I, p. 86, n° 254.

asseritur) barbarum infirmum non sufficienter juxta proprii captus mensuram intellexisse mysteria religionis christianae sibi explicata, aut ea sufficienter non credere, et ex solo motivo non contradicendi promittere se servaturum mandata ejusdem religionis.

Si vero missionarius prudenter credat infirmum barbarum quando dicit : *credo et faciam*, revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum, ut supra, debere baptizari.

Si autem de praedictis, missionarius dubitet, et tempus non suppetat illum melius instruendi, immineatque periculum mortis, debere itidem baptizari sub conditione.

Missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Dominum Jesum Christum, sed teneri illum instruere de omnibus iis quae sunt necessaria necessitate medii juxta captum baptizandi. Teneri omnia praecepta legis positivae divinae intimare[1]. »

Ex natura horum responsorum constat pro adulto moribundo requiri saltem fidem S. S. Trinitatis et Incarnationis mysteriorum. Ceterum promittet se reliquis scitu necessariis addiscendis operam daturum esse pro temporis opportunitate ac intellectus capacitate.

Quoad praecepta, satis est ut moribundus affirmet obligationibus fidei christianae suam

1. Col., t. I, p. 87, n° 256.

vitam conformaturum. Recuperata sanitate, tenetur omnia praecepta scire quoad substantiam.

DE ADULTO MORIBUNDO SENSIBUS DESTITUTO.

23. In moribundo sensibus destituto nil aliud praerequirendum est nisi exploratio intentionis baptismi jam habitae. Deinde examinandum est utrum fides et contritio ad liceitatem baptismi in adulto necessariae fuerint prius sufficienter manifestatae. Nostrum judicium ut palam dicamus, baptismus sub conditione conferri debet moribundo sensibus destituto qui intentionem virtualem habuit. Sane missionarius judicare debet pro dispositionibus fidei et contritionis ante morbum in moribundo existentium. Forsan in adulto hae dispositiones antea non existebant; nonne autem recte quisque interpretaretur moribundum in periculo mortis positum velle animae salutem et ideo actum contritionis in corde elicere? Equidem, ut dicit P. Michel[1] baptismus non conferendus est si cum certitudine morali asseratur defectus fidei et contritionis; num autem hic et nunc sit possibilis talis certitudo? Permittit Ecclesia dare absolutionem sub conditione christiano destituto sensibus qui in actu peccati reperitur; ergo a fortiori suis ministris tribuet facultatem baptizandi sub conditione

1. *Op. cit.*, p. 64.

moribundum infidelem sensibus nunc destitutum qui hujus sacramenti desiderium olim habens, signa contritionis prius non dederit.

DE MINISTRO

24. Urgente necessitate v. gr. in periculo mortis, homo quilibet licite baptizat deficiente sacerdote. Attamen ubi plures adsunt, servandus est ordo quem proponit Rit. Romanum : « Si praesens sit parochus vel vicarius, sacerdoti praeferantur, diacono sacerdos, diaconus subdiacono, clericus laïco et vir feminae, catholicus haeretico, infideli christianus. » Juxta hanc regulam S. C. S. Officii statuit ut non permittant Episcopi schismaticis administrare sacramentum Baptismatis, nisi in casu necessitatis et deficiente alia quacumque persona catholica[1].

Ergo non possunt catholici parentes, deficiente parocho catholico, orthodoxo ministro pueros baptizandos praebere. Praeter prohibitionem S. Officii enunciatur in Theologia generale principium affirmans illicitum esse sacramenta petere a ministro indigno.

In Vicariatu Constantinopolitano, in primum casum reservatum incidunt :

I° Quodcumque sacramentum suscipientes a ministro haeretico vel schismatico ;

1. Col., t. II, p. 69, n° 198.

II° Consulentes recursum ad tales ministros pro actibus supradictis.

DE PATRINO

25. Censebant plures auctores licitum esse admittere haereticum ut patrinum, cum legitima causa eum repellere prohiberet, v. gr., propter gravem indignationem haeretici timendam : in hac circumstantia lex exceptionem pateretur. Num haec opinio in praxi sit sequenda ? Grandis est difficultas, prout sentit Lehmkuhl, juxta quem consultius est ad indignationem haeretici minuendam permittere ut tanquam testis assistat.

Vigilandum tamen ne ullum impleat ex muneribus requisitis ut quis valide munus patrini exerceat.

Congregationes Romanae tanquam abusum consuetudinem patrinos haereticos habendi crebrius reprobarunt.

26. Cuilibet interroganti de gravibus causis hujus prohibitionis consulendum est ut legat Instruct. jussu Benedicti XIV ad missionarios Aegypti. Clara est quaestio. « An liceat catholicis haereticos advocare ut patrini sint in baptismate quod filii eorumdem catholicorum suscipere debent ? Inter alia animadvertit S. Officium solam indignationem, quantumvis gravem, haereticorum nullatenus sufficere ut

haeretici possint esse patrini in Baptismate, de quo nunc agitur, sed oportere ut propriae vitae periculum, aut aliud grave malum occurrat imminens ob haeretici patrini repulsam, ut parochus eum admittens a culpa excusetur. Ceterum Albana Synodus habita anno 1703 ita sanxit : « Detestabilem quoque consuetudinem infideles sive schismaticos admittendi ad patrini munus obeundum, Episcopi severioribus poenis vindicabunt. » Ex quibus omnibus inferri licet, non posse infideles, haereticos aut schismaticos esse patrinos in Baptismate quod confertur filiis catholicorum [1] ; quod ipsum statutum legimus in Rituali Romano ad Tit. *De Patrinis,* ubi haec habentur : sciant praeterea parochi ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut haereticos.

Differentia in hoc sita est haereticum inter et infidelem quod primus est valide patrinus, alter autem non contrahit cognationem spiritualem. Ex decreto S. R. U. Inquisitionis constat melius esse baptismum sine patrino quam baptismum cum haeretico patrino, pro quo admittendo militat gravis metus causa[2].

27. Nunc autem quid pro catholicis definiendum? An possint esse patrini in baptismate quod confertur haereticorum filiis ? Pro affirmativa stant Laymann, Croix, S. Alphonsus, etc.,

1. Col., t. I, p. 181, n° 355.
2. Analect. eccles., t. I, p. 440.

dummodo haec cooperatio pro signo protestativo fidei heterodoxae non reputetur. Certum est juxta auctores hunc casum sub notione communicationis in divinis includi, sed in hypothesi haec cooperatio materialis licita est, cum adsit in patrino catholico fundata spes in vera religione pueros educandi. Qua opinione citata, sapienter dicit Lehmkuhl auctores non sufficienter attendisse ad culpam gravem commissam ab illo qui administrationem sacramenti petit a ministro indigno.

Insuper in praxi patrinus minime cogitat de assecuranda educatione suorum filiorum spiritualium. Si judicemus ex ordinarie contingentibus, multum probabile est quod puer ab heterodoxo baptizatus in falsa religione postea instruetur, licet inter catholicos eligatur patrinus.

Ceterum in hac materia habes diversa decreta quae unanimiter declarant : « absolute non licere nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur[1] ».

28. — In vicariatu Constantinopolitano reservationem incurrit quilibet catholicus munus patrini gerens in baptismo a ministro haeretico collato. « In primum casum reservatum incidunt... suscipiendo e sacro fonte

1. Col., t. I, p. 302, n° 478.

infantem a ministro haeretico vel schismatico baptizandum ».

DE MODO BAPTISMUM ADMINISTRANDI

1° LINGUA.

29. — Ad valorem sacramenti, forma baptismi qualibet lingua pronunciari potest. Si de liceitate agitur, distinctio facienda est inter baptismum privatum et baptismum solemnem.

In baptismo privato parum refert ut haec vel illa lingua adhibeatur ; in baptismo solemni totus ritus baptismalis latine peragendus est. Ipsae interrogationes prius in lingua latina faciendae sunt ; licet tamen eas in lingua vernacula repetere.

Die 9 maii 1879 quaeritur a Vicario apostolico Sin utrum possit tolerari consuetudo a missionariis introducta interrogationes primo latine factas dein in linguam annamiticam vertendi ?

Respondit S. C. S. Officii praxim de qua agitur posse servari[1].

30. — Nuperrime vero, dicit Haine, scilicet 12 sept. 1891 archiepiscopus Parisiensis a S. Sede indultum obtinuit ut tolerari et conti-

1. Col., t. II, p. 131, n° 1519; p. 137, n° 1538, etc...

nuari queat invecta praxis utendi gallico seu vernaculo idiomate in interrogationibus quae fiunt patrinis atque in responsionibus, quando baptismi sacramentum sive infantulis sive adultis administratur. Quod simile indultum jam antea (5 jun. 1862) concessum fuerat episc. Bellovacensi in Gallia[1].

2° DE LOCO ET CAERIMONIIS.

31. Regulariter baptismus debet in ecclesia administrari. Attamen dantur plures exceptiones :

I° Urgente necessitate potes ubique administrari, domi, v. gr., si ob itineris difficultatem in ecclesiam infans deferri nequit;

II° Juxta Rituale, regum aut magnorum principum filii domi baptizari possunt ; illicite autem extenditur hoc privilegium ad infantes divitum qui non aegrotant. Quaenam sit regula servanda, e moribus regionis determinandum;

III° In locis missionum ubi catholici procul ab ecclesiis incolunt et infantes ad eos sine magnis incommodis deferri nequeunt, licet missionariis eos, servato ritu Ecclesiae consueto, domi baptizare;

IV° In locis ubi deest ecclesia vel oratorium, possumus, imo tenemur baptizare domi. « Posse,

1. *Theol. mor. elementa*, t. II, p. 478.

imo teneri uti illis caerimoniis quibus possunt uti. »

32. Quid agendum si parentes infideles obfirmate renitantur baptizandos ad ecclesiam deferre? Omnem curam adhibere debebit (missionarius) ut parentes ipsi ab hac sua irrationabili contradictione recedant; quod si suis persuasionibus, et monitis non obtinebit, tunc sibi persuadere poterit rem esse deductam ad casum necessitatis : impossibile enim erit hos infantes baptizare, obsistentibus parentibus in quorum sunt potestate. Proinde tunc illi licitum erit iis infantibus baptismum conferre extra ecclesiam, et in privatis domibus, vel ubi a parentibus illi permissum erit, omissis sacris ritibus, et caeremoniis, animo tamen retento eas supplendi in ecclesia quam primum hoc fieri permissum erit. Si vero praevideatur quod parentes infantium in eorum pertinacia manentes nunquam assensum suum sint praestituri, ut neque decursu temporis infantes sui ad ecclesias pro supplendis caeremoniis deferantur, tunc satis erit ut in ipsis privatis domibus ritus et caeremoniae consuetae per Rituale praescriptae in actu collationis baptismi adhibeantur... Potius est enim, ut laudabilis consuetudo, quae tantum concernit majorem erga hoc sacramentum decentiam et reverentiam, celebrandi baptismum in ecclesia, omittatur, quam ut priventur parvuli

baptizati non exiguis spiritualibus bonis, quae ex adhibitis super eos sacris caeremoniis in eorum animabus ex Ecclesiae institutis multipliciter derivantur.

Si vero indomita parentum pervicacia eo usque perveniet, ut vel praetextu angustiae temporis, vel ex aliis causis non permittant, ut sacrae baptismi caeremoniae neque in ipsorum privatis domibus adhibeantur, tunc etiam omitti poterunt : melius enim est, ut parvuli baptizati bonis spiritualibus non necessariis, quae proveniunt ex caeremoniarum usu, destituantur, quam ex omissione necessarii regenerationis lavacri eorum animae in aeternum pereant[1].

Datur eadem doctrina in alio responso S. C. de Prop. F. (21 januar. 1789) : « An extra casum urgentis necessitatis, seu extra periculum imminens licite possit sacerdos simpliciter abluere infantes vel adultos, omissis omnibus Baptismi caeremoniis ? »

« R. Non posse. Verumtamen non solum imminens periculem mortis esse posse causam legitimam omittendi solemnitates baptismi, verum etiam aliam quamcumque rationabilem et gravem quae impediat earumdem solemnitatum administrationem, ut ex. gr. si tempus omnino deficiat, si instet periculum a paganis, si sacerdos non habeat neque commode habere

1. Col., t. I, p. 314, n° 510.

possit oleum catechumenorum, S. chrisma, sal benedictum, aliaque necessaria pro perficiendis iisdem solemnitatibus. In his autem casibus monendum esse missionarium quod si non omnes sed solum aliquas caeremonias baptismi adhibere possit, eas adhibeat; ac deinde cum tempus et occasio opportuna adfuerit, easdem caeremonias, vel omnes vel quas omisit, in ecclesia vel oratorio supplere teneatur[1]. »

33. Dubium sequens S. Rit. Congregat. proponitur : « Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum, stola violacea indutus, domi baptizavit eique s. chrisma, et oleum sanctum quod secum detulit, imposuit prout in Rituali Romano. Quaeritur : an bene vel male se gesserit in casu unctionis extra ecclesiam ? — R. Parochum male se gessisse, baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam, oleo etiam catechumenorum. In casu enim necessitatis juxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda quae baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit[2]. » (23 septem. 1820.)

34. Juxta Rituale, si infans aegrotus adeo

1. Col., t. I, p. 370, n° 598.
2. *Op. cit.*, t. I, p. 436, n° 750.

graviter laborat ut periculum immineat ne pereat antequam baptismus perficiatur, sacerdos eum baptizat, deinde si habeat tempus, linit eum in vertice, postea dat ei linteolum candidum, etc. Ex Rituali datur-ne pro sacerdote obligatio caeremonias subsequentes statim conficiendi; vel agitur-ne solummodo de norma directiva? Juxta Lehmkuhl, non adest stricta obligatio; attamen id fieri magis convenit, etsi de pracepto non constat; quod etiam Gardell. in nota ad responsum S. C. R. in Caligurit. 28 sept. 1820 sentit dicens caeremonias subsequentes posse sive permitti fieri[1].

35. DE SUPPLENDIS CAEREMONIIS IN BAPTISMO ADULTORUM.

I. Si infans ab haeretico ministro baptizatus defertur ad catholicam ecclesiam — sive baptismus conditionate confertur sive non — caeremoniae adhibendae sunt ex baptismo infantium.

II. Super adultum ab haereticis baptizatum, si baptismus conditionate non repetitur, non est mos supplere solas caeremonias; si vero — id quod sane licet, imo per se magis convenit — supplentur, sumendae sunt ex baptismo adultorum, nisi specialis facultas S. Pontificis aliter agendi habeatur.

1. *Op. cit.*, t. II, 53.

III. Si autem caeremoniae supplentur super adultum catholicum, caeremoniae sumantur ex baptismo infantium.

IV. Si repetitur conditionate baptismus super adultum ab haeresi conversum, communis lex est, ut sumatur baptismus cum caeremoniis pro adultorum baptismo. Videtur tamen in casu particulari ex gravi causa Episcopus dispensare posse ut liceat caeremonias omittere[1].

V. Si adultus quindecim annos natus baptizatur, decet formam baptismi adultorum sumi. At etiam tum aliqui vicarii apostolici obtinuerunt facultatem adhibendi breviorem formam baptismi infantium.

Relationes ritus latini cum ritibus catholicis Orientis.

PRAENOTAMEN.

36. Praemittuntur aliquae notiones scitu necessariae circa Ecclesias catholicas ritus orientalis.

37. Vox « ritus » strictiori sensu significat caeremonias quasdam Ecclesiae; latiori vero sensu comprehendit omnes particularitates

1. Sicut conjeceris ex ipsa nota quae adjecta est in collectione Gardell. ad decretum in Rhedon. Lehmkuhl, *op. et loc. cit.*, p. 53-54.

disciplinae auctoritate Ecclesiae stabilitas vel usu et consuetudine eadem auctoritate approbatas.

Ritus, generaliter loquendo, distingui solent: Ecclesiae latinae et Ecclesiae orientalis. Ut vero nomine hoc ritus latini ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus comprehenduntur, sic nomine ritus Ecclesiae orientalis proprie designantur : Graecus, Armenicus, Syriacus et Cophticus.

Ritus graecus.

38. Graeci puri in Oriente stabiliti. — Circiter mille catholici Constantinopli, Perami, Malgarae, Caesareae, etc...[1].

Italo-Graeci. — Sub hoc nomine designantur catholici linguae et ritus graeci qui domicilium habent in Sicilia, Calabria et Albania. Jurisdictioni Antistitum latinorum licet submittantur, ordines accipiunt a duobus Episcopis Italo-Graecis.

Graeci Melchitae (110.500 fideles). — Catholici ritus graeci in Syria, Palestina, Aegypto, sub dependentia Patriarchae Alexandriae, Antiochiae et Hierosolymae, cujus jurisdictio extenditur in omnes fideles ejusdem ritus qui intra

1. Hic agitur tantummodo de communitatibus graeco-catholicis quae sedem habent in Oriente ; nam aliquae existunt in Occidente, v. gr., Massiliae, in Corsica, in Algeria, etc.

fines Turcici imperii versantur. Lingua liturgica : graeca et arabica.

Graeci Rumeni (1.222.129 fideles). — Catholici ritus graeci in imperio Austro-Hungarico manentes.

Lingua Rumenica in liturgia adhibetur.

Quatuor dioeceses : Fogarasiensis seu Alba Julia.

Magno-Varadinensis, Lugosiensis et Armenopolitana.

Graeci Rutheni (3.843.593 fideles). — Sex dioeceses quarum prima invenitur in Galicia, scilicet Leopolitana metropolis, et duo suffraganei, scilicet Episcopus Premisliensis et Stanislaopolitanus; duo in Hungaria : Munkacsiensis et Eperiessensis dependentes ab Archiepiscopo latino Strigoniae et ultima in Croatia, ep. Crisiensis jurisdictioni episcopi latini Zagrabiensis subjectus.

Lingua liturgica : palacoslavica.

Graeco Slavi (14.000 fideles). — Communitati catholicae bulgaricae praesunt tres antistites quorum primus Constantinopoli, alter Adrianopoli, et tertius Thessalonicae commoratur. Lingua liturgica : slavica.

Ritus Armenus.

39. Armeni (70.000 fideles). — In Oriente, catholici armeni subjiciuntur auctoritati Patriarchae Ciliciae qui sedem habet in Urbe

Constantinopolitana. In liturgia adhibetur lingua armenica.

In Occidente, Armeni uniti habent sedem archiepiscopalem Leopolitanam cujus praesul a summo Pontifice immediate dependet.

Ritus Syriacus.

40. Syri uniti (22.700 fideles) sub auctoritate Patriarchae Antiochiae. Lingua Syriaca.

Chaldaei (79.400 fideles) sub auctoritate Patriarchae Babyloniae. Lingua Chaldaïca.

Syri malabarens. Ritus (319.200 fideles) sub auctoritate trium Vicariorum Apostolicorum.

Maronitae (300.000 fideles) sub jurisdictione Patriarchae Antiochiae. Lingua : syriaca et arabica.

Ritus Cophticus.

41. Cophti Aegypti sub auctoritate Patriarchae Alexandriae.

Cophti Aethiopiae seu Abyssiniae.

Lingua cophtica pro Cophtis et lingua dicta Ghez pro Abyssinis in liturgia adhibentur.

RELATIONES RITUS LATINI CUM RITIBUS ORIENTALIBUS QUOAD BAPTISMUM

42. Generaliter baptismi ea vis est ut in Ecclesiae sinum nos introducat atque ritum ad

quem pertinemus determinet. Restat dicendum in quanam Ecclesia hoc sacramentum conferri debeat. Non est dubio locus si parentes sint ejusdem ritus; nempe regulariter baptizabitur puer in ecclesia ritui parentum addicta. Titius, v. gr., ex patre et matre armenis ortus parocho armeno praesentari debet. Datur exceptio in sequenti circumstantia. Deest parochus ritus armeni; qua de causa Titii parentes baptizandum puerum offerunt sacerdoti alterius ritus; etiam nunc Titius in ritu armeno educari debet juxta hanc regulam : Puer qui urgente necessitate baptizatur a sacerdote diversi ritus, ritui baptismi non censetur addictus. Haec nullam dubitationem involvunt. Quid autem cum genitores sunt diversi ritus? Ex. gr., pater est armenus et mater latina : in quonam ritu confertur baptismus? Huic quaestioni ut responsum tribuamus, consulendum est praxi Ecclesiarum necnon et decisionibus Synodorum Orientalium.

43. Mos est apud Armenos ut puerum baptizent in ritu patris, et ideo filius patris armeni et matris latinae baptizabitur in ritu armeno. Eodem modo agitur apud Graecos melchitas, Maronitas et Slavos.

44. Pro Syris, legitur in articulo Synodi Sciarfensis : « Sponsorum qui sunt diversi ritus proles ritum patris necessario sequitur ex quo

nascitur : nusquam licet eam in ritu matris accenseri etiamsi mortuo patre eam pepererit aut ejus pater diu fuerit absens [1]. »

45. Idem principium enunciatum fuit in synodo Coptorum Alexandriae habita anno 1898. « Conjugum qui sunt diversi ritus proles ritui patris adscribenda est ita ut nusquam liceat eam in ritum matris accenseri [2].

46. Pro Ruthenis viget concordia cui nomen apposuerunt ex una parte archiepiscopus Leopolitanus, et episcopi Premisliensis et Stanislaopolitanus, et ex alterâ praesules latini Leopolitanus, Premisliensis et Tarnoviensis. Vigore hujus conventionis a S. Cong. de Prop. F. anno 1863 approbatae, haec statuuntur pro baptismo.

« 1° Proles e matrimoniis mixti ritus progenitae educandae sunt in ritu parentum juxta sexum. In matrimoniis tamen clericorum Ruthenorum universa proles sequi debet ritum patris.

2° Illegitimae proles sequuntur ritum matris.

Cum vero per subsequens matrimonium legitimantur, praeceptum sub 1° positum obtinet. (Resp. S. Congr. Prop. F. 11 nov. 1800) [3] ».

1. *Act. Syn.*, Romae, 1897, p. 55.
2. *Act. Syn.*, Romae, 1899, p. 60.
3. *Col. Lac.*, 1876, t. II, p. 564.

47. En norma apud Italo-Graecos sequenda. « Infantes nati ex patre et matre graecis, ritu graeco, nisi aliter parentes accedente Ordinarii consensu voluerint, baptizari debent. Nati vero ex patre latino et matre graeca latinis sunt caeremoniis baptizandi, proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus. Si vero pater sit graecus et mater latina, liberum erit eidem patri, ut proles vel ritu graeco baptizetur vel etiam ritu latino, si in gratiam uxoris latinae graecus pater consenserit, ut latino ritu baptizetur[1]. »

48. Ex supradictis deducitur haec generalis conclusio: scilicet ritus patris ritum filii determinat, et ideo baptizatur in ritu orientali hic puer cujus pater ad ritum orientalem, mater autem ad latinum pertinet. E contra ritui latino accensebitur infans cujus pater est latinus, mater autem orientalis. Aliquando opponitur praxis apud Italo-Graecos vigens, juxta quam pueri ex patre graeco et matre latina orti possunt in ritu latino baptizari. Sed in comperto est apud omnes quod Italo-Graeci praesulum latinorum jurisdictioni subjecti permanent et latinorum disciplinae in pluribus sese conformant. Absque fundamento ageret quisquis ad alios ritus orientales praescriptiones Const. « Etsi pastoralis » extendere vel-

1. *Bullar.*, t. I, p. 197-212.

let. Ad Ruthenos quod attinet, consensio facta inter Latinos et Ruthenos speciem habet contractus bilateralis; siquidem ab utraque parte concessiones tributae fuerint. Votis uniuscujusque ritus obsecundantes, praesules latini et rutheni sequentem normam proposuerunt : « Proles e matrimoniis mixti ritus progenitae educabuntur in ritu parentum juxta sexum. »

49. Insuper statutum fuit a S. Cong. de Prop. F. in aliquo responso particulari quod « filiifamilias generatim loquendo baptizari et educeri debent in ritu[1] patris ». Quid autem si proles orta fuerit ex matrimonio a schismatico orientali contracto cum muliere latini ritus? Nullomodo permittit pater schismaticus ut filius in ritu latino baptizetur; libenter tamen annuit baptismum conferri in suo ritu orientali, purgato ab erroribus quibus permiscetur, id est in ritu catholico? Nostro judicio, melius est ut puer in ritu orientali catholico baptizetur. Nulla affertur declaratio authentica S. Congr. quaestionem dirimens, sed videtur mens Ecclesiæ esse ut in hoc casu ritui latino praeferatur ritus orientalis.

1. *Anal. eccles.*, t. II, p. 303.

DE CONFIRMATIONE

DE MINISTRO

50. Generatim apud Orientales simplex presbyter est delegatus ad confirmandum post baptismum pueros ritus orientalis. Juxta Benedictum XIV, Summus Pontifex hanc potestatem denegavit presbyteris Bulgariae ; eamdem facultem ademit Innocentius IV sacerdotibus Cypri. Demum Clemens VII hanc normam tradidit in Instructione mandata ad Episcopos latinos pro Albanis ritus graeci eorum jurisdictioni subjectis : « Presbyteri graeci baptizatos chrismate in fronte non consignent[1]. »

Inter Ecclesias orientales qui regularem hierarchiam possident, sola Maronitarum communitas veteri disciplinae ultro renunciavit, ac confirmationem uno cum baptismo dare destitit. Nunc apud Maronitas Episcopo reservatur facultas confirmandi ; « ne simplices sacerdotes de caetero praesumant hoc sacramentum administrare ». E contra antiquus usus adhuc

1. Col., t. I, p. 55 *in nota*.

praevalet in Ecclesiis Rutheni ritus, Melchitae, Syriaci, Slavici, Armeni, Chaldaei, Cophtici quae eodem tempore Baptismum et Confirmationem administrant [1].

51. Accidit ut presbyter orientalis aliquando baptizet puerum latinum; potestne illi latino confirmationem dare? En responsum S. Congr. de Prop. F. : « R. Negative et ad mentem... Mens est quod cum saepe et gravissime id a S. Sede vetitum sit, moneantur Episcopi orientales et ipsi sacerdotes suos ab hujusmodi administratione omnino prohibita deterreant » (5 julii 1886). Hanc prohibitionem explicitam videre potes in synodis quae habitae fuerunt pro communitatibus catholicis ritus orientalis, id est pro ruthenis, pro coptis, syris et melchitis [2].

52. Quid autem respondetur si parochus orientalis interdictionem transgrediatur et puerum latinum confirmet? An sacramentum

1. Apud Coptos, in casu baptismi privati, episcopo reservatur facultas puerum confirmandi. *Acia syn.*, p. 80, n° 10.

Eamdem praxim observant Melchitae.

Attamen nulla citatur responsio generalis quae pro omni ritu vim habere possit. Apud Syros, puer defertur ad ecclesiam et ibi supplentur caeremoniae : nulla mentio fit de episcopo.

Apud Graecos schismaticos, in eodem casu, simplex sacerdos puero confirmationem tribuit.

2. *Coll. Lac.*, p. 28, 54, 59, 563.

pro valido habeatur? Distinguendum est. Invalidum est, si sacerdos orientalis nulla delegatione gaudet in suo ritu, ut evenit pro Italo-Graecis et Maronitis. Dubium est hoc sacramentum si confertur puero latino a sacerdote orientali qui in suo ritu facultatem habet confirmandi; haec delegatio cessare videtur pro puero latino. Eodem modo concluditur in responso S. Congr. de Prop. F. (5 julii 1886). Propositum fuit sequens dubium : « Quando sacerdos orientalis puero latino baptismum simul ac confirmationem contulit, num opus sit ut iterum detur unctio chrismatis absolute vel conditionate, vel non? R. Detur decretum supremae Inquisitionis diei 14 Januarii 1885[1]. »

En tenor hujus decreti : « R. Non expedire ut confirmati de quibus in casu, iterum ab episcopo inungantur, nisi ad tonsuram et ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant, ac nisi facta inquisitione circa modum collationis confirmationis, reperiatur penicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus Confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub conditione[2]. » S. Congr. mentionem facit de penicillo ut essentia sacramenti omnino servetur. Etenim quoad modum peragendae unctionis adverte eam faciendam esse manu, nam juxta communissimam sententiam, invalida fo-

1. Col., t. II, p. 216, n° 1660.
2. Col., t. II, p. 206, n° 1630.

ret, si ope instrumenti alicujus fieret, quia deesset essentialis manus impositio. Decretum modo citatum originem habet ex dubio a patriarcha Hierosolymitano proposito. « In hoc Patriarchatu latino, ait patriarcha, semper validum habitum fuit Sacramentum confirmationis collatum a sacerdotis schismaticis Palestinae infantibus immediate post baptismum; et ideo sic confirmati, si ad catholicam fidem convertuntur, non amplius confirmantur. Nunc aliquando evenit ut infantes quorum pater catholicus est et mater schismatica, postquam baptizati fuerint ritu latino, clanculum a matre ad sacerdotem schismaticum afferantur a quo rebaptizantur et confirmantur. Insuper etiam aliquando evenit ut parentes neo catholici, quorum filii a sacerdote ritus latini baptizati fuerant, ad schisma revertantur, in eoque denuo baptizandos filios ad sacerdotem schismaticum offerant qui eos rebaptizat et confirmat, postea vero poenitentes iterum cum filiis suis sic rebaptizatis et confirmatis ad fidem catholicam convertantur. Quaeritur igitur utrum sacramentum confirmationis sic collatum sit validum?» Qua in re decrevit congregatio, ut dictum est supra, non esse iterum confirmandos, nisi secreto et sub conditione quando id petitur a parentibus. Caeterum S. Congregatio hanc solutionem jam mandaverat ad Vicarium Apostolicum Constantinopoleos in casu pueri latini qui, urgente necessitate baptismum et confir-

mationem a schismatico acceperat; attamen de penicillo nulla fit mentio [1].

53. Ex his praemissis, juvat tandem hanc conclusionem habere : nempe adest legitima ratio ut in dubium revocetur facultas sacerdoti orientali — sive schismatico sive catholico concessa — pueris latinis confirmationis sacramentum valide administrandi.

54. In hac materia, adhuc decretum habes a S. C. Officii die 3 Julii 1853 editum. « Si quis ex schismaticis ad unitatem Ecclesiae revertatur et ritum latinum amplectatur, deficiente sacerdote proprii ritus orientalis potestne ab Episcopo latino denuo sub conditione confirmari? R. Non expedire quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem ; et ad mentem. Mens est ut in casibus particularibus, requirat Episcopus de loco ubi conversi fuerunt oleo chrismatis inuncti. Si confirmati fuerint in Bulgaria, Cypro, Italia, vel in insulis adjacentibus, vel in territorio Libani Maronitis commisso, vel in alio loco ubi hujusmodi facultas fuit explicite revocata, debentur denuo absolute confirmari. Si autem in Valachia et Moldavia, in Asia vel in aliis locis ubi talis facultas non fuit explicite revocata, acquiescat. Si dubitetur de loco, modo

1. Col., t. II, p. 130, n° 1515.

vel alia legitima circumstantia, recurrat in casibus particularibus et consulat Benedictus XIV. de Syn. Sedulo autem curet Episcopus Vicarius Apostolicus admonere catholicos sibi subditos licitum ipsis non esse extra casum necessitatis petere pro filiis suis Baptismum a schismaticis vel haereticis[1]. »

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS

55. Quanam aetate suscipient pueri sacramentum confirmationis? Certum est ex praxi Ecclesiae quod antiquis temporibus hoc sacramentum infantibus immediate post baptismum conferebatur. Hic usus qui etiam nunc viget in Ecclesia orientali paulatim in Ecclesia latina decidit, siquidem jussit hoc sacramentum iis tantum baptizatis conferri qui rationis sint compotes[2]. Haec habet Catechismus Romanus: « Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus exspectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differe maxime convenit. »

Apposite dicit Benedictus XIV : « Licet

1. Col., t. I, p. 585, n° 1095.

2. Adest tamen consuetudo contraria in Hispania ac pluribus Italiae dioecesibus ubi pueri confirmantur secundo vel tertio anno aetatis.

apud occidentales Ecclesias in more posita quandoque fuerit Baptismatis et Confirmationis simultanea collatio, et haec consuetudo in aliquibus dioecesibus anteacto tempore inoleverit, nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia aliarum matre et magistra hujusmodi more, consultissimis Summorum Pontificum decretis provide cautum est ut renatis fonte Baptismatis conferretur Sacramentum confirmationis in ea solum aetate in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligerent tantum inter se differe Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento. »

Norma communis in praxi sequenda clare evincitur ex responso Sancti Officii in quo etiam afferantur plures exceptiones. Scribit Vicarius Apostolicus Sandwic. « Confirmantur pueri priusquam discretionis annos attigerint. R. Neminem confirmandum nisi saltem septimum attigerit suae aetatis annum; neque ab hac latinae Ecclesiae praxi recedendum nisi ob causas omnino graves, ex. gr. si infantes periculose decumbant, aut ob distantiam locorum, amissa praesente occasione, aliam vix essent habituri[1]. »

Hoc documentum indubitanter docet Confirmationem infantibus conferri posse ante usum rationis si sint in periculo mortis vel

1. Col., t. I. p. 568, n° 1054.

praevideatur futura diutina absentia Episcopi. Expedit quidem moribundum confirmari, adestne autem obligatio illum confirmandi? Videtur quod in hac circumstantia non obligatur minister confirmationis — seu extraordinarius — ad conferendam confirmationem siquidem in Instructione ad delegatos sacerdotes, S. C. de Prop. F. nullum obliget ad dandum Sacrum Chrisma moribundo ante rationis usum[1].

Ut nostrum judicium clare aperiamus, mens Ecclesiae est ut infantes regulariter post rationis usum confirmationem suscipiant; per accidens vero, puta in periculo mortis, in parva aetate confirmentur.

56. Mos est in Gallia ut tantummodo post primam communionem conferatur confirmatio; attamen plures episcopi antiquam praxim hodie resumpserunt, ac pueris discretionis aetatem attingentibus sacramentum contulerunt. Sane laude dignus est talis regressus ad authenticas traditiones Ecclesiae Romanae ideoque Leo XIII hunc praeclare commendat in litteris ad Episcopum Massiliae : « Propositum igitur tuum laudamus cum maxime. Quare quae a te sapienter sunt constituta, optamus ut fideliter perpetuoque serventur[2]. »

Jamjam opportunam occasionem arripuerat Sancta Sedes ut suam mentem omnibus tradat.

1. *Anal. eccles.*, t. I, p. 878.
2. Col., t. I, p. 588, n° 1005.

Legimus haec verba in litteris ad Episcopum S. Dionysii : « Cum longe minor aetas pro admittendis ad Sacramentum confirmationis requiratur, quam pro admittendis ad primam communionem, — reformari tibi proponitur juxta allatam doctrinam art. 22. p. 19 in Actis Synodalibus, ita ut prius locus sit confirmationi conferendae, postea vero, opportuno tempore primae communioni suppeditandae. » (19 nov. 1854.)

DE NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

57. Hanc quaestionem breviter tractare oportet, ut aliquid dicamus de quodam sat obscuro articulo Const. *Etsi pastoralis*. Confirmatio estne necessaria necessitate praecepti? Auctores in hac materia inter se plane non concordant. Priores, duce Sancto Thoma, negative respondent scilicet nullum adesse praeceptum vel naturale vel positivum quod sacramenti receptionem intimet, et ideo nullam obligationem gravem. Haec opinio a plerisque auctoribus olim admissa etiam nunc multos fautores habet : Ballerini, Lehmkuhl, Genicot, etc. Alii tamen inter quos Sanctus Alphonsus et multi recentes partem affirmativam sustinent. Juxta P. Michel, datur gravis obligatio pro iis adultis quibus praebeatur suscipiendae confirmationis opportuna occasio. Quam sententiam sequendam duxit praecita-

tus auctor ob auctoritatem Benedicti XIV, nec non et propter decisiones Sacr. Congr. S^ti^ Officii et de Propaganda fide. Primum documentum ex Constitutione *Etsi pastoralis* depromptum est, ubi Benedictus XIV loquens de subjectis nondum confirmatis, scribit : « Monendi sunt ab ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri si cum possint ad confirmationem accedere, illam renuunt ac neglegunt. »

Praeterea in altero appendice Ritualis Romani invenies declarationem a Sacra Congr. de Prop. F. anno 1774 factam : « Etsi hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio[1]. »

Demum S. Officium Instructionem supra citatam ut normam proposuit cuilibet sacerdoti ad confirmandum delegato.

58. Quidquid sit ex his documentis, pro negativa adhuc stant graves aliqui auctores, ac elidunt vim argumenti ex Constit. Benedicti XIV et Instr. S. Congr. deducti. Juxta Lehmkuhl, v. gr., haec verba Constitut. « Etsi pastoralis » tantummodo vim habent pro Italo-Graecis qui aliquando suo ritui inhaerentes contra omne fas infantes a simplicibus

1. Col., t. I, p. 309, n° 503.

sacerdotibus, quibus omnis facultas a R. Pontificibus dempta erat, confirmandos curabant neque induci poterant, ut ab Episcopis latini ritus, sicut Pontifices volebant, confirmationem reciperent. Illi igitur, quando confirmationem, data occasione, renuebant atque negligebant, facile et scandalum praebebant, imo et contemptum vel contumaciam prodebant. Ceterum, ut dicit cl. auctor, si attendas quae ageat solere Benedictus XIV, quando controversas quaestiones supremo oraculo finire vult, nihil ex iis hic eum fecisse deprehendas[1].

Praeterea instructio illa in appendice Ritualis Romani relata faciliori etiam negotio expeditur. Ultro enim damus, Patres illos ex parte eorum stetisse qui communiter grave peccatum in omissa confirmatione inesse putavere. At haec sententia *opinio* est quae contra se communiorem opinionem habet, neque lex evadere ullatenus potest. Ut enim taceam Congregationem de Propaganda Fide non pollere legifera potestate pro universali Ecclesia, *forma legis* omnino deest.

Demum haec responsio non est universalis; quippe quae ad quosdam sacerdotes delegatos mandata fuerit.

59. En rationes utrinque allatae. Nunc con-

1. *Op. cit.*, t. II, p. 75-76.

cludendum est nullum adesse documentum quo evincatur certo modo gravis suscipiendae confirmationis obligatio. Equidem in Instructione citantur haec verba : « Non respui potest ac negligi » ; ergo graviter peccaret qui hoc sacramentum contemneret (respui) seu culpabili judicio parvi faceret. Sed animadvertendum est quod in praefata circumstantia peccatum committeretur propter negligentiam vel contemptum subjecti in recusando Confirmationis Sacramento. Quoad auctoritatem S. Cong. de Prop. F. et Sancti Officii, juvat alteram authenticam responsionem S. Cong. Inquisitionis hic afferre. « Ut docet S. Thomas (3, q. 72, a. 8) omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. » (Ad Vicar. Ap. ad Gallas 20 Junii 1866)[1]. Quae declaratio sufficit ad elidendam vim argumenti ex Inst. S. Prop. F. petiti.

DE CAEREMONIIS

60. — **1**. « Usque in praesentem diem, dicitur in petitione Vicarii Apostol. Sandwic., patrinos in confirmatione non adhibuimus vel si quando adhibuerimus, in praxim non deducta fuit norma sequens. Adulti vero seu

1. Apud Genicot, *op. cit.*, t. II, p. 169.

alii majores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui. »

2. Ordinarie vittis non utimur, quia esset multum difficile imo et impossibile illas invenire. Frontes confirmandorum gossypio abstergimus.

R. Ad 1. Dandos in confirmatione patrinos et observandas Romani Pontificalis rubricas quae neque variandae neque omittendae sunt, nisi ob causam gravem ; et ad mentem ; mens est ut loco pedis ponant patrini manum dexteram super dexterum humerum confirmandi.

2. Si ut dicitur, vittae comparari difficillime possunt, tolerandam praxim de qua hic agitur. (S. Officii, 11 dec. 1850.) In Instruct. pro simplici sacerdote delegato edita die 4 maii 1774 haec habentur : « Opus erit ut sacerdos, postquam frontes confirmandorum linierit sacro Chrismate, eas gossypio mox comburendo, diligenter abstergat, ac deinde lavet[1]. »

DE PATRINO

61. Ad patrinos quod attinet, hae regulae erunt observandae.

I. Ut non plures sed unus tantum, sive vir, sive mulier, in Patrinum aut matrinam adhibeatur.

II. Ut nec feminis mares, nec maribus fe-

1. Col., t. I, p. 568, n° 1054.

minae Patrini officium praestent, sed suo quisque sexui Patrinus adhibeatur.

III. Ut nisi necessitas cogat, idem non sit, sed diversus confirmationis Patrinus a Patrino baptismatis.

IV. Ut a Patrini munere arceantur excommunicati, schismatici, etc.

Denique in hac materia citanda est Instructio S. Inquisit. qua aperitur mens et doctrina sanctae Ecclesiae. Dubio proposito ab episcopo Verapolitano utrum adhiberi possit unus tantum patrinus pro omnibus maribus ac una matrina pro feminis, Sacra Congregatio respondit observandam esse regulam Pontificalis Romani : « Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat arbitrio Episcopi. » (16 junii 1884)[1].

1. Col., t. I, p. 201, n° 1619.

DE EUCHARISTIA

DE RELATIONIBUS CUM INFIDELIBUS ET SCHISMATICIS

APPLICATIO MISSAE.

62. Juxta Concilium Tridentinum, missae sacrificium offerri potest pro vivis et pro defunctis. « Sacrificium missae offerri potest tum pro fidelibus vivis, sive justis, sive peccatoribus, tum pro defunctis in Christo et nondum purgatis. » Ratione hujus principii, Sacerdos Sacrum celebrare potest pro omnibus fidelibus vivis, nisi pro aliquo vetet Ecclesia. Vetitum est autem illud offerre excommunicatis vitandis. Sacerdos quidem prout est persona privata potest nomine proprio pro ipsis vitandis orare, vel eorum in *Memento* in particulari meminisse; quatenus vero ut persona publica applicat fructus ab Ecclesia oriundos, excludere debet, juxta plures, excommunicatos vitandos. Ratio est quia vitandi, etiamsi in statu gratiae versentur, communibus Ecclesiae suffragiis privantur.

63. Attamen applicatio missae nulla certa lege prohibetur, nec desunt auctores (Gaspar. de SS. Euchar.) qui existiment secluso scandalo et vetita communicatione, posse Missam privatim et secreto applicari excommunicatis vitandis. Ceterum Billuart hanc sententiam jamjam sustinuerat, scilicet Sacrum pro excommunicato vitando gratis vel cum stipendio offerri posse. Profitetur quidem quod opinio communis aliter sentit; quod autem ordinarie a scriptoribus dicitur de distinctione inter privatam personam et publicam personam in sacerdote facienda, fundamento solido carere videtur.

Nec ulla mentio habetur in jure positivo relate ad excommunicatos toleratos inter vivos existentes. Pro ipsis missam celebrari posse plerique theologi affirmant, quum ministri Ecclesiae licite pro toleratis orent, seu communium orationum eos participes faciant.

64. — Quid vero sentiendum de schismaticis seu acatholicis qui sub nomine excommunicatorum toleratorum comprehenduntur? Regulariter illicitum est Sacrificium offerre pro haereticis seu schismaticis. Ratio patet e Jure Canonico quo communicatio in sacris cum acatholicis prohibetur, atque e Jure naturali, saltem quoties de hujusmodi applicatione publice constat, et periculum est ne in fidelibus foveatur falsa et periculosa opinio, in sectis hete-

rodoxis aeque atque in Ecclesia catholica Deo serviri animamque salvari posse. Idem tamen licet in quibusdam casibus, et ideo recte respondet Zitelli in hac quaestione : « Profecto distingui debet inter missas pro acatholicis vivis et pro defunctis, atque inter privatas et solemnes ac publicas[1]. »

PRO VIVIS.

65. a. **Pro schismaticis**. — Missae privatae pro haereticorum vel schismaticorum conversione licite celebrari possunt, ita tamen ut sacerdos fructum pro spirituali acatholici salute applicet, sed privatim dumtaxat quin nomen illius publice denuntiet, ne ceteri vel scandalum sumant, vel ejusmodi sacerdotem nomine Ecclesiae agere existiment. Sane proposito dubio « utrum possit aut debeat celebrari missa pro graeco-schismatico qui enixe oret atque instet ut missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente ». Sac. Inquis. Congr. respondit : « Juxta exposita non licere nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem[2]. »

Difficultas autem sat implexa nunc exsurgit : « scilicet estne necessaria ipsa schismatici petitio ut pro eo sacrum celebretur, vel sufficitne

1. *Apparatus Juris ecclesiastici*, Romae, 1886, p. 293.
2. Col., t. I, p. 495, n° 858.

ut sacerdos, postquam hanc intentionem supposuerit, pro conversione impetranda missam sponte applicet? Litteram decreti si spectes, haud improbabilis apparet opinio dicentium hanc intentionem ab ipso schismatico definiendam esse; attamen quis recte affirmabit contra mentem Instructionis procedi si cum Zitelli sequenti modo concludatur : Missae privatae pro acatholicorum conversione licite celebrari possunt[1]. »

Eadem conclusio reperitur apud Clement Marc : « Pro ipsis vivis (maxime pro eorum conversione) offerri potest sacrificium missae. »

66. b. **Pro infidelibus.** — Ex supradictis concluditur Ecclesiam cum quadam severitate casum schismaticorum resolvisse. Relate ad infideles benigniorem sese exhibet permittendo ut pro ipsis Sacrum offeratur. Revera intelligitur sacerdoti tunc incumbere ut sedulo provideat ne adsit scandalum vel perversionis periculum; quibus absolute remotis, integrum est celebranti ut missam applicet pro turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis stipendium accipiat. Etenim huic dubio : « Utrum liceat sacerdotibus missam celebrare pro turcarum aliorumque infidelium intentione et ab iis eleemosynam pro missae ap-

1. *Op. cit., loc. cit.*

plicatione accipere? » Sacr. Inquis. Congr. respondit : « Affirmative, dummodo non adsit scandalum et nihil in missa specialiter addatur et quoad intentionem constet nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse[1]. »

67. Si quis, ad elidendam vim nostri argumenti, afferat documentum S. C. de Prop. F. : « Non licere celebrationem missae pro turcis et schismaticis[2], » juvat haec duo notare : 1° responsio praecitata tempore prior est et ideo in desuetudinem venit ob aliam responsionem postea datam qua evincitur applicandae missae liceitas ; 2° agitur insuper de decisione particulari quae quaestionem non dirimit relate ad universam Ecclesiam.

Alia vice, Sacr. Inquis. Congr. modo negativo dubium resolvens, scilicet esse pro Turcis celebrare, animadvertit tale responsum ob propositas facti circumstantias pronunciatum fuisse.

« Turcae Chocini in Moldavia incolae, occasione rerum suarum deperditarum aut furto ablatarum, ad Fratres Minores Conventuales proxime distantes oblationes quasdam mittunt, urgentes per suum missum quatenus ope divi Antonii Patavini, quem Turcae Camenecii vivere opinantur, res amissas rehabere valeant. »

1. Col., t. I, p. 702, n° 1274.
2. Col., t. I, p. 316, n° 514.

Tria ergo dubia querenda proponuntur: — 1° An Fratres Minores a Turcis oblationes recipere valeant? — 2° An pro Turcis possint celebrari Missae? — 3° An oblationes illas possint accipere, titulo eleemosynae, pro missa celebranda ad altare S. Antonii secundum offerentis exigentiam seu intentionem? R. SS^mus decrevit respondendum ad omnia dubia: — « Juxta propositas facti circumstantias non licere, idque significandum esse per Instructionem[1]. » Porro S. Congregatio censuit responsum dandum esse ad proposita dubia non in *abstracto* ut dici solet, sed in *concreto*, et relate ad propositas ejusdem facti circumstantias. Juxta monitum Apostoli abstinendum est ab omni specie mali: quae mali non species modo, sed res ipsa manifesta est in descriptis circumstantiis facti de quo agitur. In oculos enim statim incurrit ridenda superstitio Turcarum qua opus implorant S. Antonii Patavini, opinantes eum adhuc Camenecii vitam agere. Omnino igitur cavebunt Patres praedicti ne oblationes a Turcis recipientes aut pro ipsis missas offerentes, participes fiant eorumdem superstitionis.

Sequenti saeculo (25 februar. 1837) in litteris ad Praefectum missionis Epiri, S. C. de Prop. F. vehementer reprobabat usum quemdam in Epiro vigentem. Non toleratur abusus quorumdam missionariorum qui, haud contenti ce-

1. Col., t. I, p. 333, n° 535.

lebrare pro Turcis a quibus stipendia accipiunt, etiam permittunt ut mulieres mahumedanae maneant sub altare super quod celebratur sacrificium. Diligenter allaborabit Praefectus ad eliminandum hunc usum et quamlibet profanationem[1]. Non est prohibitum oblationes accipere a Turcis quando stipendia offeruntur pro quolibet objecto ad divinum cultum pertinente, attamen nec alium finem habeant missionarii continuas preces ad Dominum porrigendo, nisi Turcarum conversionem; quod et semper fieri debet, etiamsi nulla praebeatur eleemosyna.

Si missae pro infidelibus aliquando celebrentur, opus est ut celebratio sit absolute privata ne forte alii sumant occasionem scandali vel pravae admirationis[2]. Missae vero solemnes solum pro principibus regnantibus conceduntur et quidem eo solo respectu quia fiunt pro regnante et pro reipublicae prosperitate.

PRO DEFUNCTIS.

68. Iterum distinguendum est inter infideles et schismaticos.

Schismatici. Non potest missa publica et solemnis pro defuncto schismatico celebrari,

1. Col., t. I, p. 854, n° 1837.

2. Se possa un missionario ricevere la limosina della messa ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia, o la liberazione dal carcere e della pena capitale che gli sovrasta? Resp. — Affirmative.

ut liquido constat ex litteris Gregorii XVI ad monachos Scheyern. « Veteri ac nova Ecclesiae disciplina interdictum est ne homines in externa notoriaque haeresis professione defuncti catholicis ritibus honorentur. In hac materia Sacr. Inquis. Congr. solemniter edixit, ne missa offeratur pro illis qui in manifesta haeresi moriuntur, praesertim quando hujusmodi applicatio nota est. Haec publica celebratio illicita esset, etiam in casu quo hujusmodi applicatio missae tantum sacerdoti, et illi qui dat elemosynam nota esset.

Si quis autem jure ac merito judicat hunc schismaticum bona fide atque in gratia divina ex hac vita migrasse, occulte seu privatim pro tali defuncto in particulari celebrare posse videtur, et etiam missam *de Requie* dicere, dummodo abstineatur nomine defuncti pronunciando in speciali oratione liturgica. Hoc sentiunt plures theologi. « Probabile est, dicit Genicot, licite celebrare missam privatam et absque publica denuntiatione pro heterodoxo qui cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae obierit. In quo casu tamen abstinendum esset a speciali oratione liturgica pro hoc defuncto recitanda qualis in missa pro die obitus reperitur ; id enim pertinet ad publicam commemorationem[1]. »

Etiam qui nullatenus admittunt missam pro

1. *Op. cit.*, t. II, p. 230.

defuncto acatholico celebrari posse, circa stipendium forte oblatum haec dicunt : « Quodsi stipendium pro aliquo in particulari offeratur, respondeat sacerdos, se posse applicare Missam pro omnibus fidelibus defunctis, cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo. »

Praecitatae opinioni a theologis Lehmkuhl, Genicot, etc., propugnatae opponitur epistola ad episc. Aug. in qua Gregorius XVI docet missae applicationem illicitam esse etiam sub conditione « si in gratia Dei mortui sunt », quia secreta haec divinae gratiae mysteria ad externum Ecclesiae judicium minime pertinent. Verum haec verba congrue explicantur de solis sacerdotibus qui licet non habeant ullum sat probabile argumentum ad admittendam conversionem schismatici in ultimo instanti, pro illo tamen sacrum offerunt, apposita sequenti conditione : si in gratia Dei mortui sunt. Sane, ut dicit Lehmkuhl, non sufficit tantum communis et generalis possibilitas quae in solo secreto mysterio divinae gratiae et misericordiae nititur. Quid faciendum erga apostatas qui ultimo vitae momento signa paenitentiae dare detrectant? Cum in manifesta apostasia moriuntur, sepultura ecclesiastica donari non debet, nec pro eis licita est missae applicatio.

69. Estne licitum missam celebrare pro

principe schismatico? — Non est licitum, ut pluries decrevit Sancta Sedes. Rationem dedit Gregorius XVI in literis ad abbatem monachorum de Scheyern. Haec tamen prohibitio, cum ad disciplinam pertineat, quandoque tolli potest per R. P. dispensationem, ad vitanda quaedam gravia incommoda. En dubium S. P. Gregorio XVI propositum. Rex Bavariae in restituendo quodam coenobio eam apposuit conditionem ut monachi in sua Ecclesia funus celebrare tenerentur pro rege ipso cum morietur, et in anniversariis porro diebus in perpetuum; itemque pro regina conjuge ac pro futuris deinde seu regibus seu reginis tum in cujuscumque obitu, tum in diebus anniversariis qui usque ad subsequentis mortem intercedent. Jam autem superior monachorum praevidit difficultatem ex eo obventuram quod regina uxor a catholicis sacris aliena est; sed nihilominus ex cujusdam prudentis viri consilio induxit animum ut conditionem illam acciperet ea mente, ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium missae in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim.

Summus Pontifex in suis literis hanc interpretationem omnimode respuit. « Nec enim permittere possumus ut ullomodo fraus fiat prohibitioni illi quae in catholica ipsa doctrina innititur de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando. » Re vera, missae

solemnes pro principibus regnantibus quandoque conceduntur et quidem eo solo respectu quia fiunt pro regnante et reipublicae prosperitate. Quum autem princeps acatholicus defunctus est, sane non licet. « Quia principe defuncto, ait Zitelli, jam non amplius pro imperante sed nonnisi pro anima defuncti missa applicari potest. »

70. Infideles. — Estne licitum missam celebrare pro infideli defuncto? Non licet missam solemnem celebrare. Nunc autem inquirendum est si valeant licite sacerdotes missam privatam *de Requie* offerre pro Turcis seu infidelibus qui bona fide atque in gratia divina ex hac vita migrasse videntur. Nullum decretum applicationem missae prohibet; ex altera parte a participatione missae excluduntur soli damnati, id est, tum ii qui cum peccato mortali defuncti paenas sensuum in gehenna patiuntur, tum ii qui cum solo peccato originali in limbo parvulorum reclusi sunt. Quod si ita est, nihil mirum si aliquando missa stricte privata cum stipendio offertur pro infideli qui cum indiciis probabilibus status gratiae obivit. Adde quod si haec opinio nimis benigna videtur, sacerdos merito respondebit se posse applicare missam pro animabus in Purgatorio existentibus, cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo.

DE MODO DEFERENDI S. EUCHARISTIAM AD INFIRMOS IN PARTIBUS INFIDELIUM.

71. Rituale Romanum (tit. IV, cap. IV) indicat caerimonias quae observantur in modo deferendi communionem ad infirmos. Sacerdos indutus superpelliceo et stola... decenter et de more aliquot particulas consecratas, vel unam tantum ponet in pyxide quam proprio suo operculo cooperit et velum sericum superius ponit : ipse vero sacerdos imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti utraque manu accipiat vas cum sacramento, et deinde umbellam subeat nudo capite processurus. Praecedat semper acolytus deferens laternam, sequantur duo clerici quorum alter aquam benedictam et bursam cum corporali et cum linteolo purificatorio, alter librum ritualem deferat et campanulam jugiter pulset.

72. Generatim loquendo, non licet hoc sacramentum deferre secreto ad infirmos, exceptis necessitatis casibus, ex. gr., in locis haereticorum ubi manifeste nequit deferri. « At ubi turcarum vis praevalet et iniquitas dicit Benedictus XIV, sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pyxiden recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli

associetur. » In regionibus Orientis nullum est impedimentum sacram vestem ita gerendi, et ideo convenit ritum servari qui promulgatur in Constitutione « Omnigenas ». Insuper, ut dicitur in responso S. R. C. omittendum non est, quotiescumque fieri possit, scilicet ut sacerdos saltem in cubiculo infirmi stola se induat.

Facultas concessa fuit missionariis sinensibus sine lumine et stola sacramentum administrandi infirmis quando aliter administrari non potest. Legimus enim in decreto S. C. de Prop. F. : « Quidam missionarius exorat ut concedatur facultas deferendi Viaticum infirmis sine stola; accidit enim ut infirmus viginti aut triginta stadiis aliquando distet, ex altera autem parte missionarii apud sinenses vestimentum habent adeo lucidum et subtile ut facile appareat stola sub communi veste a collo missionarii appensa, et ideo jure timetur paganorum ira ac periculum ne infirmus Viatico privetur.

Praeterea quaeritur utrum in domibus ubi vivunt christiani permixti cum gentilibus sit licitum administrare communionem sine superpelliceo, sed cum stola. Ratio est : Pagani pro infausto augurio habent quod aliquis albis indumentis se induat in eorum domibus.

Iis dubiis affirmative respondit S. C. de Prop. F. scilicet in casu necessitatis licere ut Viaticum deferatur sine lumine et stola, vel

aliquando cum stola sed sine superpelliceo, ad promovendam devotionem erga Sanctam Communionem ac fovendum receptioni Sanctissimi Viatici[1].

RELATIONES RITUS LATINI CUM RITIBUS CATHOLICIS ORIENTALIBUS

73. Quoad valorem consecrationis, parum refert si adhibeamus panem azymum vel fermentatum; etenim ad validam consecrationem requiritur tantummodo panis triticeus, id est ille qui ex farina triticea et aqua naturali compositus, igne tostus sive assus est. Ecclesia tamen praecipit ut quisque in suo ritu permaneat, et ideo cum in Ecclesia latina mos est ut in azimo, in Ecclesia vero graeca in fermentato celebretur, praeceptum grave est sacerdotem latini ritus solo azymo, graeci ritus solo fermentato pane posse uti. Ergo existit obligatio qua unusquisque in proprio ritu manere debet in consecratione Eucharistiae : quod quidem confirmatur legibus quae in Florentina Synodo decretae sunt. Generatim loquendo, Orientales in fermentato celebrant, exceptis maronitis et armenis in azymo consecrantibus.

Omni tempore curaverunt Pontifices ut unaquaeque Ecclesia antiqua praecepta sui ritus adamussim observet. In primis affertur aucto-

1. *Cfr.* Col., t. I, p. 434, n° 746; t. II, p. 45, n° 1365.

ritas Benedicti XIV qui consuetudines Ecclesiae orientalis integre fideliterque custodivit. Jure canonico illud quidem statutum habetur ritum orientalem cum latino haud esse miscendum, ut videre est ex pluribus Ecclesiae decretis. « Vetita sane ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret, et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt in azymo rem divinam facerent et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Vetita quoque ritus permixtio esset si Latinus sacerdos modo juxta latinum modo juxta Graecum ritum aut sacerdos Graecus modo graeco modo latino ritu missam celebraret[1]. »

74. Supradictae regulae unica datur exceptio quam citat Sanctus Alphonsus sequentibus verbis : « Dubitatur an latinus in locis Graecorum possit celebrare in fermentato, et graecus in locis Latinorum in azymo. Conveniunt doctores quod si inter graecos inveniatur ecclesia Latinorum, in qua latinus ritus servatur, sacerdos latinus debeat consecrare in azymo : et sic e converso. Dubium est quando latinus transit per Graeciam (vel contra).

1. Bullar., t. III, p. II[a], p. 266, n° 33-34.
Romae, Benedictini collegii Sancti Athanasii privilegio fruuntur celebrandi sive in ritu graeco sive in ritu latino.

Censet Ledesma teneri ad celebrandum in fermentato : e contrario Vasquez, Aversa, etc., dicunt teneri celebrare in azymo. Caeterum communiter et probabilissime Natalis Alexander, Antoine, Suarez, Tournely et omnes alii mox citati docent latinum tunc posse celebrare sive in fermentato sive in azymo. In fermentato, juxta doctrinam divi Augustini, ubi sic ait : Nec disciplina ulla est melior gravi prudentique christiano quam ut eo modo agat quo agere viderit ecclesiam ad quamcumque forte devenerit. Potest etiam celebrare in azymo, tum quia, etsi bene facit qui morem regionis ubi reperitur, sequitur, ad id tamen non tenetur, ut advertunt Suarez et Glossa; tum quia Leo Papa in epistola ad Michaelem Caerularium monet ut unusquisque juxta suae ecclesiae ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur[1]. »

DE MINISTRO ET SUBJECTO EUCHARISTIAE.

In quonam ritu communio sit administranda et accipienda?

75. Ea quae de celebrante diximus, eamdem vim pro fidelibus habent; si sacerdos in suo ritu debet Eucharistiam administrare, similiter et fideles in suo ritu communicare debent. In

1. *Theol. mor.*, Malines, 1828, t. V, p. 20.

hac materia non est diutius immorandum, quia saepius, haec obligatio enunciatur in literis Pontificum et decretis Congregationum[1]. Aliquando tamen gravis ratio excusat ab hac regula : quocirca locus datur exceptionibus quas decet nunc indicare. Pluribus in locis, fideles nequeunt ecclesiam sui ritus adire vel ad suos sacerdotes recursum habere, et ideo urget necessitas ut in aliena ecclesia sacramenta recipiantur a ministris alius ritus. Ad dirimendas difficultates, Summi Pontifices, S. C. de Prop. F. etc., ediderunt decreta quorum vis nunc examinanda est. Sequens dubium propositum fuit ad S. C. de Prop. F. (11 dec. 1838). « 1. Utrum de consensu Ordinariorum Orientalium aut Delegati Ap. quis utens fermentato S. Communionem excipere possit in azymo et vice versa ?

2. Utrum missionarii latini in propria seu latina ecclesia possint cuilibet vel utenti aliunde fermentato administrare Eucharistiam in azymo ?

3. Catholicus in azymo communicans qui commoratur in regionibus ubi alii catholici in fermentato communicant et vice versa, potestne communicare in fermentato et vice versa ad adimplendum praeceptum pascale, vel in periculo mortis ?

R. Ad 1. Negative ad utramque partem, et

1. Col., t. I, p. 590, n° 875.

servetur omnino Instructio pastoralis Benedicti XIV quae incipit : *Eo quamvis tempore,* § *Neque etiam*, in qua permittitur orientalibus Communio ritu latino tantum in subsidium, nempe cum difficulter communicare possint in proprio ritu.

Ad 2. Detur Instructio anni 1757 nec non decretum Supremae Inquisitionis 4 septembris 1721. — Porro in instructione data a S. C. anno 1757, haec habentur : « Quoad administrationem Sanctae Eucharistiae quae non datur per modum viatici, non potest S. C. approbare usum quem sequuntur Patres Terrae Sanctae et alii missionarii latini dantes Eucharistiam in azymo cuilibet fideli orientali sacerdotem proprii ritus habenti. Lex vetat ne communio in azymo administretur nisi in subsidium prout praecipitur in instructione pastorali : *Eo quamvis tempore*, nempe quando nimis durum est orientalibus communicare in proprio ritu. »

In decreto S. C. S. Officii (4 sept. 1721) legimus : « Missionarii debentne dare communionem in azymo catholicis ritus graeci vel praecipere ut in fermentato communicent? R. Nihil innovandum est ad mentem. Mens est quod rescribatur missionariis ut citra ullam innovationem graecis insinuent quod in fermentato juxta eorum ritum communicent, et ulterius scribendum per S. C. de Prop. Fide pro informatione an in partibus illis adsint

sacerdotes catholici ritus graeci a quibus catholici ejusdem ritus S. Communionem recipere valeant et invigilet an et quomodo missionarii, quibus praesens responsum transmittitur, illud exsequantur, ac S. Cong. certioret. »

Ad 3. Affirmative in omnibus quoad utentes fermentato; quoad vero communicantes in azymo concedantur facultates prout in decreto S. Off. 12 dec. 1821. En decretum : « SS^mus benigne concessit Patriarchae Ciliciae facultatem dispensandi Armenos catholicos Diarbekirii commorantes, ut deficientibus omnino sacerdotibus armeno-catholicis, aut aliis sacerdotibus catholicis in azymo communicantibus pro adimplendo paschali praecepto et pro Viatico sumendo, recipere possint S. Synaxim in fermentato a sacerdotibus catholico-chaldaeis. »

76. In eadem materia sequens dubium S. C. de Prop. F. propositum fuit : « Sacerdos maronita vel armenus (qui adhibent azymum) potestne administrare Eucharistiam a sacerdote latino consecratam et vice versa? R. Affirmative dummodo sacerdos linguam et caeremonias proprii ritus adhibeat, et dummodo quoad Armenos, de iis locis agatur in quibus servatur apud ipsos usus communicandi sub una tantum specie. »

Ex hoc decreto eruitur fidelem orientalem azymo utentem posse ad libitum in Ecclesia

latina communicare; ex. gr., Armenus vel Maronita habet facultatem Eucharistiam accipiendi a sacerdote latino.

Propter rituum paritatem, eodem modo respondetur circa latinum qui quidem jure gaudet communicandi in Ecclesia Armenorum vel Maronitarum. Insuper merito putamus fideli orientali competere facultatem ut communicet in quacumque ecclesia, dummodo idem ritus fermentati vel azymi in Eucharistia observetur ac excipiatur duplex casus Viatici et praecepti paschalis. Dicendum est etiam catholicum armenum posse communicare in Ecclesia maronita et Graecum in Ecclesia ruthena et vice versa.

77. In litteris S. C. de Prop. F. ad Deleg. Ap. Ægypti (30 april. 1862) traditur norma generalis ab omnibus observanda quoad ritum eucharisticum. « Secundum dubium respicit sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae ab Orientalibus in ecclesiis latinis recepta. Quantum ad Eucharistiam distinctio facienda est inter fideles qui azymo utuntur et illos qui in fermentato communicant. Pro primis, nulla existit prohibitio, nec prohibere possunt praesules orientales ne recipiant Eucharistiam a missionariis latinis in illorum ecclesiis, exceptis casibus, ut par est, ubi agitur de jure parochiali. Pro aliis qui fermentato utuntur, primo notandum est posse etiam illos sacramenta recipere

in ecclesiis latinis secundum proprium ritum et a sacerdotibus sui ritus, ut videre est apud Benedictum XIV in Encyclica *Allatae sunt* nº 33, 35, 36. Sic respondetur pro locis ubi orientales non habent ecclesiam proprii ritus. Aliud autem est si utentes fermentato generatim a latinis recipere volunt communionem in fermentato. Assignantur duae conditiones : prima est quod nequeant pro suo arbitrio communicare in azymo, quando facile in hac re ritum suum observare possunt; supposita autem difficultate communicandi in azymo, altera regula orientalibus dat facultatem ut communicent in azymo non solum in articulo mortis, vel ad observandum praeceptum paschale, sed etiam in aliis casibus, prout stabilitum fuit in Instructione pastorali Benedicti XIV *Eo quamvis tempore*.

In tertio dubio agitur de latinis seu de his qui ritum azymi sequuntur. Illis integrum est ut in ecclesiis orientalibus communionem recipiant in proprio ritu a sacerdotibus azymo utentibus; non possunt tamen sine indulto Pontificis communicare in fermentato etiam si adsit difficultas sumendi communionem in azymo. Quod quidem absolute firmatum fuit in Const. *Etsi pastoralis* Benedicti XIV : « ne laici autem latini Communionem a graecis presbyteris sub specie fermentati recipiant prohibemus omnino et interdicimus ». Consequenter S. O. et S. C. de Prop. F. omni tem-

pore prohibuerunt ne in fermentato communicent azymo utentes. Si deficit sacerdos proprii ritus, vel quilibet alius in azymo celebrans, tunc est locus dispensationi quae quidem conceditur tantummodo pro duplici casu veraenecessitatis, Viatici et praecepti pascalis[1]. »

78. Haec ultima sententia plus aequo severa in benigniorem partem postea flexit : nempe decrevit S. C. de Prop. F. quod fideles sive ritus latini sive orientalis, deficiente sacerdote proprii ritus, possunt accipere communionem in ecclesia cujuslibet ritus, dummodo sit catholicus.

En decretum : « In variis catholici orbis regionibus, in quibus diversorum rituum fideles permixti inveniuntur, deplorandum sane est saepe saepius nonnullos proprii ritus Ecclesia et sacerdote destitutos manere. Ex quo fit ut quidam ex illis propriae devotioni satisfacere, necnon christianae vitae fervorem per Sacramentorum frequentiam conservare et augere desiderantes, ex difficultate S. Communionem sumendi in proprio ritu, a S. Sede privilegium communicandi in ritu alieno etiam extra casus a jure permissos continuo expostulent; alii vero quam plurimi propter eamdem rationem inducantur potius ad diuturnam sacramentorum incuriam cum maximo eorum vitae spiri-

1. Col., t. I, p. 677, n° 1228.

tualis detrimento. Hisce recursibus ac malis effectibus permota haec S. Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis ritus Orientalis per opportunum aliquod ac salutare remedium iisdem occurrere voluit.

Hinc de consilio Emorum Patrum praedictae S. Congregationis, S.S. D.N. Leo PP. XIII, referente R.P.D. Augustino Archiep. Larissensi S. Congregationis de Prop. Fide Secretario in audientia diei 2 julii anni 1893 sequens decretum edi et expediri mandavit : nimirum, quo utilius frequentia promoveatur S. S. Sacramentorum, quae efficacissima sunt media a Christo Domino instituta ad procurandam salutem animarum, et quo opportunius duplex illud praedictum inconveniens de medio tollatur, omnibus fidelibus cujuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur S.S. Communionem, non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia, juxta ritum Ecclesiae existentis in praedictis, locis, dummodo catholica sit, recipiendi [1]. »

Hanc facultatem Leo P.P. XIII (Const. Orientalium dignitas, 30 nov. 1894) extendit ad casum quo fideles « propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint, nisi cum

1. Col., t. II, p. 295, n° 1846.

gravi incommodo adire : de quo Ordinarii esto judicium ».

DE ANTIMENSIO.

79. Sub nomine « antimensii » quod vocant etiam θρόνος, καθιέρωσις et etiam εἰλητόν designatur tela consecrata qua reliquiae teguntur. Antimensio utitur Ecclesia graeca ab antiquo tempore eo fine ut tabula supra quam deponitur, altare fiat.

Benedictus XIV prohibuit sacerdotibus latinis ne consecrarent super antimensia. Eamdem prohibitionem jam antea S. Officium decreverat (7 jun. 1726). Dubio proposito : « Estne licitum sacerdotibus latinis celebrare in ecclesiis et super altare Graecorum in suo ritu, sine petra? Prout habent Graeci facultatem missam celebrandi in ecclesiis latinis et super altaria latinorum, sic et Latini jure fruerentur adhibendi telam ab episcopo consecratam quae reliquias involvit? Resp. Non licere[1]. »

Clemens VIII, anno 1602, sacerdotibus latinis permisit ut missam celebrent sola devotionis causa super altare Ruthenorum cum calice et vestibus sacris Ruthenorum. Hoc privilegium confirmavit Benedictus XIV tolerans ut quilibet sacerdos latinus in Polonia commorans Sacrum offerat ob legitimam causam super antimensia Ruthenorum (1751)[2].

1. Col., t. I, p. 99, n° 306.
2. Bullar., t. III, p. I[a], p. 273-274.

In conventione seu concordia inter latinos et graeco-ruthenos Episcopos dicitur posse sacerdotes utriusque ritus, ex indulto pontificio, sacrum offerre super altaria consecrata vel portatilia vel super antimensia.

80. Hae responsiones primo aspectu aliquam contradictionem inter se implicant; attamen dirimitur difficultas recte concludendo sacerdotem latinum super altare Graecorum non posse sine causa missam celebrare. Ut supra vidimus, Benedictus XIV in Const. quae incipit *Imposita nobis* (anno 1751) ob justas causas concessit missionariis in universa Russia Polonica commorantibus, ut in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, deficientibus lapideis altarium tabulis rite consecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum antimensiis missarum sacrificia celebrare valeant. « Quum vero, inquit Summus Pontifex, in iis regionibus in quibus Italo-Graeci sunt Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius quam alterius ritus ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento... unusquisque presbyter proprii ritus ecclesiam adire valeat, nulla sane causa est ob quam latinis earum partium presbyteris permitti debeat... sine sacrata altaris lapidea tabula missas celebrare. »

Sed aliter se res habent ubi de regionibus agitur in quibus latini presbyteri ab ecclesiis latini ritus longe degentes, quum sacratas

lapideas tabulas per longa itinera sine gravi incommodo et sine periculo eas confringendi secum deferre nequeant, vel missae celebrationem penitus omittere, et sic latinos fideles sine sacrificio proprii ritus... relinquere, vel eam super Graecorum antimensiis peragere compelluntur.

In hujusmodi rerum circumstantiis, Apostolicae Sedis provida indulgentia jamdudum enituit (per indultum anno 1602 datum et a Benedicto XIV denuo confirmatum)[1].

81. Nullo jure affirmari potest ritus commixtionem apostolica aliqua constitutione vetitam induci ex eo tantum quod Armenus, Maronita aut Graecus juxta ritum suum in latina ecclesia missae sacrificium exerceat aut versa vice latinus in orientalium ecclesia, dum legitima aliqua subest causa.

Nec requiritur ad praecepti satisfactionem ut missam fideles audiant ritu ipsorum celebratam.

1. *Op. et loc. cit.*

CONSTITUTIO « ORIENTALIUM DIGNITAS[1] »

82. Falso creditur aliquid novi seu inauditi contineri in plurimis decretis quae circa ritus orientales a Leone XIII lata fuerunt. Ipse Pontifex frequenter animadvertit sui muneris esse ut evolvat legislationem jamjam promulgatam et a suis Praedecessoribus vigilanter stabilitam. Aliquando hujus orientalis juris sensum explicat claritatis gratia, vel obligationes cum majori severitate adauget ac imponit; attamen in eamdem viam quae a priscis temporibus a Sancta Sede monstrata fuit, fideliter procedit.

« Rata quidem permanent quae in hoc Benedictus XIV decessor noster illustris, sapienter provideque decrevit per constitutionem *Demandatam,* in forma epistolae, die datam XXIV decembris anno MDCCXLIII, ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchita-

1. Cum uterque ritus, latinus et orientalis, principalem differentiam sumant ex specie in consecratione adhibita, censuimus hìc habere opportunum sermonem de Constitutione Leoniana circa orientales ritus.

rum omnesque ejusdem ritus Episcopos eidem Patriarchae subjectos. Hoc tanquam principium ex ipsa (epistola) deprompsimus, sacerdotes nempe latinos eo tantum consilio ab Apostolica Sede in illas regiones mitti, ut sint Patriarchis et Episcopis in adjutorium et levamen; cauto propterea ne utendo facultatibus sibi concessis, eorum jurisdictioni praejudicium inferant, et numerum subditorum imminuant... Itaque rerum capita quae sequuntur visa sunt in Domino praescribenda et sancienda, ut facimus, Apostolica fulti auctoritate; jam nunc declarantes velle Nos atque edicere ut eadem Benedicta decreta, quae de graecis melchitis primitus data sunt, fideles omnes cujusvis in oriente ritus universe attingat. »

83. Art. I. — « Missionarius quilibet latinus, e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat, praeter suspensionem a divinis quam ipso facto incurret ceterasque poenas per eamdem constitutionem *Demandatam* inflictas, officio suo privetur et excludatur. Quae praescriptio ut certa et firma consistat, exemplar ejus patere vulgatum apud latinorum ecclesias jubemus. »

Ex his verbis evincitur Leonem XIII nil novi dixisse prohibendo missionariis ne ullomodo Orientalibus imponant ad ritum latinum

transitum. In Constitutione Benedicti XIV *Allatae sunt*, praeclarum habetur exemplum constantis sollicitudinis quâ Pontifex adlaboravit ut omnino evelleret abusum in Oriente inolescentem pro neoconversis qui ad ritum latinum observandum adigebantur. « Neque enim ex Jure canonum et Apostolicarum Constitutionum se gerit qui in convertendis Orientalibus Ritum quoque Orientalem et Graecum in iis quae ab Apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit aut id agit ut qui convertuntur Ritum quem hactenus servaverunt dimittant et latinum amplectantur[1]. »

84. Olim Melchitae suos fideles ad observantiam ritus latini libenter inducebant; quocirca prohibitum fuit ne in posterum hoc modo agerent. Eadem prohibitio pro missionariis latinis lata fuit, ne consiliis auxiliisve occasionem praeberent transitui ad ritum latinum.

« Alioquin, praeter districtam, quam Deo, Nobis, suisque superioribus (quos de urgenda hujus Decreti observantia peculiariter oneramus) rationem reddent, sciant se harum Litterarum vigore privationem vocis activae et

1. *Op. cit.*, t. III, p. II[a], p. 263.
In hac materia cfr. *L'Orient et les deux Lettres Apostoliques*, Paris, Lecoffre, et *Etudes préparatoires au Congrès Eucharistique de Jérusalem*, Bonne Presse, Paris.

passivae, et inhabilitationem ad quemcumque gradum, et officium in suis respective Ordinibus, Institutis et Congregationibus, ipso facto incursuros[1]. » Decreta Benedicti XIV nunquam abrogata fuerunt, quum iteratis vicibus a Summis Pontificibus Clemente XIV, Pio VII, etc., denuo confirmata fuerint. Placet momentosa verba Gregorii XVI hic referre :

« Nec praetermiserunt Romani Pontifices inconsultam reprehendere illorum rationem, qui Orientales catholicos ad latinum ritum amplectendum allicerent. Totam hanc Ecclesiae Romanae in permittendis, tuendis honorandisque tum Ruthenorum tum aliorum Orientalium ritibus oeconomiam explicat fusius Benedictus XIV in litteris quarum initium *Allatae sunt* quas quidem litteras cum quis attente perlegerit, habebit profecto unde illorum inscitiam coarguat qui Summos Pontifices erga Orientales liturgias minus aequos fuisse contendunt[2]. »

85. S. C. de Prop. F. decretum edixit a Pio IX confirmatum, quo omnes poenae in Const. Benedicti XIV latae vim habent in posterum pro religiosis latinis vel ruthenis qui mutationem ritus permitterent, inconsulta Apostolica Sede. Insuper novis poenis afficit quoslibet a clero saeculari, a generali norma deficientes.

1. *Op. cit.*, t. I, p. 332, n° 19.
2. *Juris Pontif. de Prop. F.*, pars I^a^, t. V, p. 279.

Ceterum, si quis sacerdos ritui latino vel ruthe-no addictus in suo ritu aliquem fidelem recipit, debita privatus auctoritate, haec admissio est nulla et sine robore. Hic sacerdos hujus gravis culpae conscius, incurrit, si est regularis, poenas in Const. « Demandatam » indicatas : « Si sit e clero saeculari sive parochus sive operarius, prima vice spiritus recollectionibus octo dierum, secunda vice quatuordecim dierum, tertia demum vice suspensione a divinis ipso facto incurrenda, et pro casus gravitate etiam beneficii privatione, si parochus est,... si operarius, inhabilitatione per triennium ad curatum beneficium obtinendum puniatur. »

86. In articulo primo Const. *Orientalium dignitas*, lex quidem antiqua promulgatur, sed cum majori severitate et vigore; poenae etiam majori gravitate et universalitate gaudent ita ut missionarii latini alienorum jurium invasores esse nequeant, et orientalibus ablata sit quaelibet occasio diffidentiam habendi.

Prout e verbis textus lucide comperitur, sacerdos latinus regularis saecularisve, et ille solus, obnoxius est poenis a Const. decretis. Sub verbis *auxilio vel consilio* intelligitur omnis participatio directa seu indirecta quam habent missionarii in transitu fidelis orientalis ad ritum latinum.

Orientalem quempiam. Sub hoc nomine

veniunt omnes et singuli Orientales, et ideo nulla distinctio facienda est inter Orientales jam unitos et hos qui nunc ad unitatem revertuntur.

Suspensionem a divinis. Suspensio a divinis est censura quae privat clericum ab ordine nec non a jurisdictione; in praesenti casu suspensioni ab officio aequivalet et ipso facto incurritur, sicut et aliae poenae in Const. *Demandatam* allatae.

87. Art. II. — « Ubi desit proprii ritus sacerdos cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat Parochus alieni ritus qui easdem atque ipsi species, azymum vel fermentatum, ad consecrandum adhibeat; anteferatur qui eas adhibeat ritu orientali. — Fidelibus autem sit facultas communicandi utrovis ritu, non eis tantummodo locis ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, prout a sacro Consilio christiano nomini propagando decretum est die XVIII augusti anno MDCCCXCIII, verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire; de quo Ordinarii esto judicium. Idque fixum resideat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare parocho suo addictum. »

Hic articulus fideliter servat jura paro-

chorum orientalium ac insuper pietati fidelium vehementer fovet. Juxta Verba Constitutionis, fideles orientales in defectu parochi proprii ritu, subjiciuntur jurisdictioni parochi orientalis qui iisdem specibus utitur in consecratione panis. In Constitutione mentio fit de sacerdote curam animarum habente, aliis verbis de parocho, et ideo evidenter constat sacerdotem nulla jurisdictione vestitum, nullam auctoritatem habere posse relate ad fideles sui ritus. Quid ergo sentiendum de jurisdictione sacerdotis chaldaei, syri vel maronitae qui in urbe Constantinopolitana domicilium habet? Estne illi licitum jura parochialia exercere in Syros, Maronitas vel Chaldaeos qui in eadem urbe sedem habent? Negative respondendum est juxta Verba Constitutionis; ergo nullam jurisdictionem vindicare possunt sacerdotes Chaldaei, Syri vel Maronitae in fideles sui ritus qui Constantinopolim habitant.

Ceterum anno 1906, animadvertit ipsamet S. C. de Prop. F. nullam competere jurisdictionem Vicario Patriarchali Chaldaeorum Constantinopoleos in fideles sui ritus. Idem dicendum est de aliis vicariis Patriarchalibus, excepto Vicario Graecorum Melchitarum. Ratio est quod urbs Byzantii procul dubio extra limites patriarchatus Antiocheni versatur; porro nullum documentum Sanctae Sedis affertur, quo patriarchalis jurisdictio extra fines patriarchatus extendi possit.

Revera in articulo decimo tertio Constit. « Orient. dignit. » Patriarchae Graeco Melchitae jurisdictio tribuitur in eos quoque fideles ejusdem ritus qui intra fines Turcici imperii versantur, sed nulla mentio fit de aliis Patriarchis, et ideo recte affirmatur jurisdictionem Patriarchalem ultra limites patriarchatus extendi non posse.

88. Nunc explicandum est principium supradictum juxta quod fideles orientales, in defectu proprii parochi, subjiciuntur jurisdictioni parochi orientalis qui easdem species adhibet in consecratione. Si quaedam difficultas maneat in hac regula, vi exemplorum forsitan dirimetur. Supponamus, verbi gratia, non adesse in urbe Byzantina ullum sacerdotem maronitam cui committatur spiritualis jurisdictio in fideles ejusdem ritus. Cuinam parocho subjiciuntur fideles maronitae? Armeno vel Latino (ambo azymum adhibent). R. Jurisdictioni parochi armeni : « Anteferatur qui eos adhibet ritu orientali. »

Borussiae habitant catholici graeci, syri, vel melchitae; atqui ibi nullus adest sacerdos catholicus qui in consecratione fermentatum sumat; omnes vero azymi utuntur. (Armeni et Latini.) Cuinam parocho subjicientur Melchitae? Parocho armeno, non autem latino, prout constat ex decreto S. C. de Prop. F. ad patriarcham Armenum (anno 1896) : « Catholici

orientales juxta quorum ritum ad sacramentalem communionem in usu est fermentatum (ex. gr. Melchitae, Syri, Chaldaei) quoties versantur in aliquo Orientis loco ubi commorantur solummodo sacerdotes latini et orientales qui consecrant in azymis (Armeni et Maronitae) subjici debent jurisdictioni parochi orientalis qui in azymis consecrat, non vero jurisdictioni parochi latini. »

Hi melchitae quidem facultatem habent eligendi ritum orientalem quem maluerint, ea tamen conditione, ut electione facta, nequeant mutare dum in eodem loco versantur. « Dum Orientales illius ritus in quo adhibetur fermentatum, parochum proprii ritus non habent et versantur in loco Orientis in quo adsunt solummodo sacerdotes aliorum rituum Orientalium qui consecrant in Azymis (Armeni et Maronitae) ipsis liberum est se submittere jurisdictioni illius quem maluerint, ea tamen lege ut electione facta amplius mutare nequeant, dum in eodem loco morantur. »

89. Catholici orientales qui non habent parochum proprii ritus communionem accipere possunt, etiam devotionis causa, in azymo vel fermentato ; excipitur communio paschalis quam accipere debent a proprio parocho. « Catholici orientales, quibuscumque speciebus utantur ad sacramentalem communionem, juxta ipsorum ritum, quoties carent parocho proprii ritus in Orientis loco in quo adsunt aliorum

rituum sacerdotes, quorum alii in azymis, alii in fermentato consecrant, possunt habitualiter seu devotionis gratia communionem suscipere, modo in fermentato, modo in azymo, prout libuerit.

90. Prout legimus in altera parte art. secundi, ecclesiae longinquitas fideles dispensat ab obligatione communicandi in proprio ritu. In hac materia, Leo XIII in benigniorem partem emendavit decretum Benedicti XIV qui definierat Melchitas communionem a Latinis recipere posse, tantummodo in subsidium, nempe in solo casu defectus sacerdotis sui ritus. Nunc facilius dispensatur; attamen id certum permanet eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, nec propterea mutasse ritum, sed in officiis parochialibus parocho suo subjectum remanere. Haec est praxis Sanctae Sedis; etenim ut dicit Benedictus XIV, servatio transitoria ritus latini non est ratio sufficiens ad constituendum legitimum et regularem transitum ad eumdem ritum. Quae quidem norma plane concordat cum principio pro Melchitis primum enunciato, ac deinde extenso ad alios ritus orientales.

91. Articuli III et IV praebent conclusiones ex generalibus decretis depromptas, et indicant quid faciendum cum pueris orientalibus qui in scholis latinis admittuntur.

Art. III. « Sodalitates Religiosorum latinae, quae Juventuti instituendae in Oriente dant operam, si quo in collegio alumnos ritu orientali non paucos numerent, sacerdotem ejusdem ritus, Patriarcha consulto, apud se habeant ipsorum commodo alumnorum, ad missae sacrificium, ad sacram synaxim, ad catechesim patria lingua impertiendam ritusque explicandos ; aut saltem diebus dominicis ceterisque de praecepto occurrentibus festis talem sacerdotem arcessant, ea officia praestiturum. Quam ob causam eisdem sodalitatibus quaevis privilegia, etiam speciali mentione digna, quibus gaudeant ut alumni orientalis ritus, quamdiu in collegiis ipsarum degant, latinum sequantur, adempta esse edicimus : de ritualibus autem abstinentiis servandis moderatores cum religiosa aequitate videant. — Item alumnis externis prospiciatur : quod ad proprias ipsorum ecclesias seu curias remitti aut perduci oportebit, nisi videatur eos cum internis ad ejusdem ritus officia admittendos. »

Ex hoc articulo concluditur Sanctam Sedem eos improbare qui in scholis latinis nullomodo cogitant de ritu orientali alumnorum suorum. Fatemur equidem facilius servari disciplinam in collegio quando omnes alumni eamdem ecclesiam adeunt ac idem kalendarium sequuntur; incumbit tamen superiori, sacerdotibus seu professoribus munus loquendi de ritibus in catechesi, in praedica-

tionibus seu collationibus et invitandi pueros orientales ut suum ritum diligant. Secus alumnus in ritu latino educatus, postquam de collegio exierit, ecclesiam latinam semper adibit, nunquam autem ecclesiam sui ritus frequentabit, nisi forte praeceptum paschale excipias.

Num dedecori est ut quisque orientalis disciplinam proprii ritus fideliter servet? Quocirca Pontifex opportunam occasionem nactus est ut in articulo III alumnis orientalibus commendet antiquitatem eorum ritus. Attamen recte requiritur sacerdotem orientalem cui incumbit munus ut discipulis sui ritus S. Communionem dispenset sese ingerere in regimen domesticum collegii non debere. Porro aliqui rectores collegiorum latinorum aliunde dispositi ad observandas praescriptiones Pontificum prae oculis habuerunt inopportunam immixtionem sacerdotum orientalium in iis quae illorum juris non erant.

92. *Non paucos numerent.* Ad sensum hujus vocis plane aperiendum dubium sequens S. C. de Prop. F. propositum fuit: *a*) Quando recte dicitur *non pauci* relate ad alumnos orientales collegiorum latinorum? R. Juxta interpretationem a Bartolo tributam, hoc verbum *non pauci* diversam significationem habet pro qualitate rerum, personarum causarum et temporis; et ideo numeri determinatio

reservatur rectae aestimationi praesidis collegii vel ordinarii.

b) Si Patriarcha vel ordinarius nullum presbyterum ad collegium juvenum vel puellarum mittere possit, quid agendum ut juvenes vel puellae in communione fermentatum adhibeant. R. — Deficiente sacerdote qui adhibeat easdem species, alumnus vel alumna potest ritu latino sacram communionem accipere.

c) Si norma pro collegiis ab articulo III praescripta nullo modo pro puellis in praxim deduci possit, quid faciendum ut alumnae in fermentato communicantes Sacram Communionem recipere possint? R. — In casu exposito, qui collegio praeest, rem tractet cum Patriarcha et postea ad Apostolicam Sedem recurrat[1]. (24 maii 1895.)

93. Juxta facultates quibusdam Institutis concessas, alumni orientales ritum latinum sequebantur quamdiu in collegiis illorum Institutorum morabantur. Praesenti tempore abrogantur haec privilegia, et ideo omnes alumni legi communi obnoxii remanent. Pariter mandat Summus Pontifex ut moderatores de servatis abstinentiis recte solliciti sint; haec dispositio, ut par est, vim habebit in omnibus collegiis, nisi objiciatur sat magna difficultas

1. *Cf.* Archiv. Deleg. Apostol. Constantinopolit.

ad parandum in una eademque domo plures diversasque mensas.

94. Art. iv. — « Eadem praescripta transferenda sunt, quoad fieri possit, ad Religiosarum sodalitates, puellis educandis in asceteriis scholisque deditas. Quod si qua immutatio per tempora et res opportuna inciderit, ea non ante fiat quam Patriarchae consensus accesserit et venia Apostolicae Sedis. » Eodem modo loquendum est in praesenti articulo ac in praecedenti.

95. Art. v. — « Nova ritu latino juventutis collegia vel domus religiosorum utriusvis sexus ne in posterum aperiantur, nisi Apostolica sede rogata et consentiente. »

Cum missiones in Oriente stabilitae Cong. a Prop. F. subjecta remaneant, ad hanc Congregationem recurrere necesse est ut aperiatur nova domus. Orientalibus nullum subest periculum timendi ne Latini Orientalium rituum jura invadant vel auferant. Cum enim prohibitum sit Latinis novam domum aperire, inconsulta Sede Apostolica, haec religiosorum domus sub auctoritate vigilanti S. Cong. permanenter stabit, ac consequenter desistet ab omni conatu ad Orientales in ritum latinum admittendos. Ceterum Sancta Sedes quae ab antiquo tempore sedulam adhibuit diligentiam ad servandos ritus orientales, nunquam permittet ne

quid injusti aggrediantur latini contra jurisdictionem Graecorum.

96. Art. VI. — « Presbyteris tum latinis, tum orientalibus, neque in suis, neque in alieni ritus ecclesiis, fas est quemquam absolvere a casibus qui suis cujusque Ordinariis sint reservati, nisi facultate ab eisdem permissa : qua in re, quodvis privilegium, vel speciali mentione dignum, prorsus revocamus. »

Prohibitione speciali vetat Ecclesia ne absolvamus a reservatis fidelem alieni ritus.

Quid dicunt theologi in materia absolutionis a reservatis?

Practice statui potest ut peregrinum semper absolvere liceat nisi aut 1° peccatum reservatum sit utrobique, i. e. in loco confessionis et in loco domicilii paenitentis; aut 2° paenitens in fraudem legis in alienam dioecesim se transtulerit. Dissentiunt theologi in assignanda jurisdictione supra reservata; juxta plures, peregini quoad absolutionem dijudicandi sunt secundum reservationem domicilii paenitentis, siquidem absolvuntur vi potestatis ab Episcopo datae; secundum alios, absolvendi sunt secundum reservationem loci confessarii, quia, ut aiunt, reservatio directe afficit confessorem.

97. Ergo, si principia Theologiae Moralis spectes, confessario licet absolvere fidelem alieni ritus a reservatis; constitutio *Orienta-*

lium dignitas, hanc facultatem restrinxit rigore art. VI. Promulgata hac prohibitione, Leo XIII disciplinam praedecessorum solemniter confirmavit eo fine ut reservationes ab Episcopo factas vindicet ac auctoritatem praesulum orientalium plenius servet. In Constit. *Demandatam* Benedictus XIV quin mentionem faciat de peccatis reservatis, sacerdotibus latinis praecipit ne imminuant jurisdictionem patriarchae et episcoporum melchitarum.

Postea prohibet S. C. de Prop. Fide ne absolvat Delegatus Apostolicus illos fideles orientales qui habent casum Ordinario reservatum. « Utrum Delegatus Apostolicus possit quemlibet fidelem absolvere a peccatis reservatis ab Ordinariis orientalibus, quin necessario requiratur consensus Ordinariorum orientalium. R. — Negative (11 déc. 1838). »

In Const. *Orient. dign.* nil novi continetur; prohibitio jam facta ne Latini fidelem alieni ritus a reservatis absolvant extenditur ad sacerdotes orientales qui nullam habent jurisdictionem in casus reservatos latinorum. Missionariorum interest ut exquirant quinam sint casus reservati. Hoc negotium esset facile, dummodo responsiones clarae et exactae praeberi possent. Debentne autem missionarii sese abstinere ab audiendis confessionibus Orientalium, quando scire nequeunt quinam sint casus reservati? Minime. Ceterum saepius reservationem fideles ignorant; porro, juxta

opinionem probabilem, ignorantia excusat a reservatione.

98. In quodam responso[1] ad D. Grasselli, Vicarium Patriarcalem Constantinopolitanum haec habentur : « In secundo et tertio dubio agitur de concessa confessoribus latinis facultate juxta quam absolvere possent a casibus episcopo armeno reservatis et vice versa. In Congregatione Generali die 2 julii 1731 habita dubio proposito a D. Abram, Episcopo Aleppensi « Utrum presbytero latino liceat absque mei licentia et extra periculum mortis, meos diaecesanos (ritus orientalis) a casibus mihi reservatis absolvere? S. Cong. respondit : Negative. » Haec decisio plenum robur tenet etiamsi agatur de iisdem casibus a quibus absolvendi potestatem missionarii recepissent, prout constat ex litteris S. C. de Prop. F. ad vice-praefectum missionis Aleppensis.

« Relate ad facultatem absolvendi a casibus reservatis a Sancta Sede concessam, mens Summi Pontificis est quod hoc privilegio non fruatur vice-praefectus quando agitur de casibus patriarchae et episcopis reservatis pro personis suae jurisdictioni subditis[2]. »

99. Art. vii. — « Orientalibus, qui ritum latinum, etiamsi ex pontificio rescripto, susce-

1. Responsum idiomate italico scriptum fuit.
2. *Cfr.* Archiv. delegat. apostol. constantin.

perint, revertere ad pristinum, Apostolica Sede exorata, licebit. »

In primo articulo statutum est, adhibitis quibusdam paenis, ne missionarii latini quos Ecclesia in Episcoporum adjumentum in eas regiones mittit, nullomodo suadeant fidelibus Orientalibus transitum ad ritum latinum; ex articulo octavo eruitur obligatio in proprio ritu orientali perseverandi, atque ejusdem legibus in omnibus obtemperandi.

100. Duo finguntur casus pro orientalibus qui volunt susceptum ritum deserere atque ad alium transire :

Vel ad ritum latinum transire cupiunt,

Vel alium ritum orientalem amplectuntur.

Porro in neutro casu non est liberum cuique orientali proprium ritum deserere, quin requiratur consensus superioris.

101. De transitu ritus orientalis ad ritum latinum et vice versa. — Citantur multa decreta in quibus ostenditur Orientalibus illicitum esse proprio relicto ritu, ritum latinum amplecti « Nec licuisse nec licere Orientalibus quarumcumque nationum, inconsulta Apostolica Sede, a proprio ipsorum ritu, ad latinum ritum transire » (8 martii 1757).

Duobus annis elapsis, S. Cong. confirmavit decretum anno 1757 editum; quia vero audierat nonnullos ex Orientalibus esse qui in aliqua

tantum parte ritum latinum amplexi fuerant, quosdam vero post editas anno 1755 a Benedicto XIV litteras encyclicas *Allatae sunt*, relicto proprio ritu ad latinum transiisse, idcirco in eodem decreto statuit hujusmodi Orientales vere ad latinum ritum non transiisse, sed teneri illos in proprio ritu permanere, idque sub paena peccati gravis. Si qui autem ante praedictas litteras, latinum ritum in omnibus suis partibus amplexi sunt, his indulgere posse aestimavit ut in eodem permaneant. Nunc autem ablata est omnis variandi facultas.

Nemo proinde, inconsulta Apostolica Sede, vel a latino ad orientalem vel ab orientali ad latinum transire deinceps praesumat. Qui secus fecerit, ejus transitum illicitum irritum ac nullum fore declarat S. Congregatio[1].

Eadem conclusio invenitur in litteris S. C. de Prop. F. (1842) « Transitus ex uno ad alterum ritum fit modo permanenti. Si agatur de transitu ritus orientalis ad ritum latinum, sequenti modo respondemus : sicut requiritur dispensatio Apostolicae Sedis ad transcundum ex primo ad secundum, sic et idem consensus exigitur ad redeundum ex secundo ad primum ».

Insuper dicitur in conventione seu concordia inter episcopos latinos et graeco-ruthenos : « Quilibet in suo ritu nativo permanere tene-

1. Col., t. I, p. 256, n° 403.

tur, et arbitrarius transitus denuo ac severissime prohibetur et quocumque modo ad effectum deductus, irritus ac nullus esse declaratur. Quare nemini absque obtenta Sedis Apostolicae facultate ex uno ad alterum ritum transire liceat[1]. »

102. Haec non fuerunt constituta tantum modo pro catholicis orientalibus sed etiam pro illis christianis qui ad catholicam unitatem venire cupiunt; unde debent ritum orientalem catholicum adoptare, postquam fidem catholicam professi fuerunt. Legimus enim in litteris S. Congr. de Prop. F. : « Diversitas rituum per se non praejudicat unitati fidei quam profitetur Ecclesia catholica. Unde si obtinetur a christianis orientalibus ut faciant professionem verae fidei et detestentur haeresim et schisma, ipsa permittit ut proprium ritum ab erroribus quibus mixtus erat purgatum sequantur, nec vult Praelatis orientalibus subditos tollere, quando omnes eamdem fidem catholicam profitentur.

In consequentia horum principiorum : quando qui abjurant haeresim sunt in loco ubi episcopi catholici istius ritus existunt aut saltem parochi vel sacerdotes catholici legitime autorizati, nullum est dubium quod ordinaria regula ad horum juridictionem pertinere de-

1. Col., t. I, p. 685, n° 1243.

beant. » Praeterea in responsione S. Cong. de Prop. F. dicitur quod « neoconversi suscipiendi sunt ad orientalem ritum non autem ad latinum absque venia S. Sedis [1] ».

103. De transitu ex uno ritu orientali ad alterum ritum orientalem. — Decretum S. C. de Prop. F. (20 nov. 1838) praebet normam in praxi sequendam : « Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide recto Ecclesiae regimini in Orientis partibus valde profuturum cognoverit, si regula quaedam traderetur circa transitum ab aliquo ex ritibus orientalibus ad alterum : in generali Conventu habito die 10 septembris anni 1838, referente E^mo ac R^mo D. Josepho S. R. E. Cardinali Mezzofante, quae sequuntur decernenda censuit.

Ex orientalibus nonnulli, uti sunt armeni et maronitae, cum Ecclesia latina pro Eucharistia utuntur azymo; alii vero fermentato, melchitae nimirum, chaldaei, syri et cophti : nemo proinde a ritu in quo fit usus azymi transire valeat ad ritum in quo conficitur in fermentato, absque beneplacito Sedis Apostolicae, idemque erit servandum circa transitum ex ritu in quo adhibetur fermentatum ad ritum in quo praecipitur usus azymi. Cum autem inter duos ritus permutandos non adest

1. Col., t. II, p. 206, n° 1633.

praefata materiae Eucharistiae disparitas, sufficiat consensus duorum Episcoporum a quo, et ad quem fit transitus. Haec pro illis sunt constituta qui jamdiu catholicam fidem profiteantur : quod vero ad haereticos et schismaticos pertinet, qui ad Ecclesiae sinum redeunt, permittendum censuit S. C. ut orientalem ritum qui magis iis placuerit amplectantur[1]. »

104. Nunquam licet propria auctoritate transire ex uno ritu ad alterum ; major vero vel minor difficultas in obtinenda dispensatione dependet ab usu fermentati vel azymi in utroque ritu.

Uno verbo, ad transeundum ex uno ritu orientali ad alterum orientalem requiritur dispensatio Sanctae Sedis quando adest disparitas in materia Eucharistiae.

Sufficit censensus utriusque episcopi, si adest eadem materia. Schismaticis ad unitatem redeuntibus datur facultas amplectendi ritum orientalem quem maluerint. Haec licentia existit pro iis qui heterodoxam fidem semper professi sunt, non autem pro apostatis qui primum in vera religione nati fuerunt ac deinde ab unitate Ecclesiae defecerunt.

Hoc constat ex litteris S. Cong. de Prop. Fide : « Catholicis orientalis ritus qui occi-

1. Col., t. I, p. 499, nº 878.

dentalibus haeresibus adhaerendo a vera fide defecerunt, non licet ad alium orientalem ritum in conversione transire, sed in suo manere debent. Quod enim indulgetur orientalibus in haeresi natis, id apostatis merito negatur, ne ab ipso suo crimine commodum referre videantur. Eos proinde oportet necessariam facultatem a Summo Pontifice expetere, si ad Ecclesiam revertentes, amplecti vellent ritum ab eo diversum, cui ante apostasiam adhaerebant » (15 julii 1876)[1].

Haec omnia in suo vigore permanent et integre exsecutioni traduntur; attamen articulus VII aliquid novi continet, scilicet facultatem Orientalibus datam ad suum ritum redeundi, etiam in casu quod illum dereliquerunt cum venia Sanctae Sedis.

105. Art. viii. — « Mulieri latini ritus quae viro nupserit ritus orientalis, aeque ac mulieri orientali quae nupserit latino, integrum erit ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio, transeat : matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera erit potestas. »

S. C. de Prop. F. statuerat (19 maii 1759) sponsam ritum sponsi sequi posse, nisi fuisset latina : tunc enim necessaria erat venia Apostolicae Sedis. « In Congregatione Generali de Propaganda Fide... cum propositum a qui-

1. Col., t. II, p. 96, n° 1458.

busdam fuerit dubium, quem ritum conjuges sequi debeant, si forte diversi ritus fuerint, Sacra Congregatio SS^mi D. N. Papae auctoritate permitti posse censuit, ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini; quo casu, inconsulta Sede Apostolica, ad mariti ritum transire non permittatur. »

Modo in Constitutione *Orient. dignitas* quaelibet disparitas evanescit, quum mulier ritus latini aeque ac mulier orientalis ad ritum viri transire possit.

« Matrimonio autem soluto, ut dicitur, resumendi proprii ritus libera est potestas. »

Hic datur nova regula; etenim dubium propositum fuit S. Cong. de Prop. F. « Utrum facultas facta mulieri nubenti sequendi ritum viri sui, aequivaleat verae mutationi ritus pristini, ita ut omnibus obligationibus ritus maritalis teneatur, etiam mortuo viro? R. Affirmative[1]. » Nunc autem, juxta Constitutionem, mulier, mortuo marito, potest proprium ritum resumere prout illi placet, inconsulta Sede Apostolica.

106. Art. IX. — « Quicumque orientalis, extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini, ritui tamen suo permanebit adscriptus; ita ut, nihil diutur-

1. Col., t. II, p. 222, n° 1678.

nitate aliave causa ulla suffragante, recidat in ditionem Patriarchae, simul ac in ejus territorium revenerit. »

Sacerdotes et fideles cujuslibet orientalis ritus domicilium habentes extra respectivos patriarchatus, sed non habentes parochos proprii ritus, subjiciuntur Ordinario latino loci in quo morantur, praecipue in diaecesibus latinis. (S. C. Prop. 12 maii 1890 ad Archiep. Par.) Porro scimus quasdam mutationes introductas fuisse in disciplina rituum ab art. II Constitut. et responsione mandata ad Patriarcham Armenorum. (14 februarii 1896.)

107. In Occidente, episcopi latini jurisdictionem habent in Orientales. Anno 1897, S. Cong. de Prop. F. sequens decretum edixit : « 1. Fidelibus Orientalibus Americam septentrionalem confluentibus facultas esto si libuerit, sese conformandi ritui latino : regrediendum tamen ipsis erit ad ritum proprium simul ac in patriam redierint.

2. Orientalibus qui verum et stabile domicilium in America septentrionali constituerint non permittatur transitus ad ritum latinum, nisi obtenta in singulis casibus venia Apostolicae Sedis.

3. In provinciis ecclesiasticis Americae Septentrionalis in quibus multi sunt fideles rutheni ritus, Archiepiscopus cujuscumque provinciae, initis conciliis cum suis suffraganeis,

sacerdotem ruthenum caelibatu et idoneitate commendabilem deputet, et hujus defectu sacerdotem latini ritus ruthenis benevisum, qui super populum et clerum dicti ritus vigilantiam et directionem exerceat, sub omni modo tamen dependentia Ordinarii loci, qui pro suo arbitrio, facultates ei tribuat, quas in Domino expedire judicaverit[1]. »

108. In secunda parte articuli IX confirmatur praxis quam Apostolica Sedes semper retinuit cum Orientalibus. « Observatio transitoria et precaria ritus latini producere nequit legitimum transitum ab uno ad alterum ritum.

109. Art. x. — « Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto Religioso latini ritus, quemquam orientalem inter sodales suos fas erit recipere qui proprii Ordinarii testimoniales Litteras non ante exhibuerit. »

Prout scimus, in quocumque ordine, Congregatione, Societate, Instituto, monasterio, domo, sive in eis emittantur vota solemnia, sive simplicia... nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. Haec norma canonica extenditur ad Orientales qui in Institutis latinis admitti cupiunt. Jamjam S. C.

1. *Analect. eccles.*, t. V, p. 383.

de Prop. Fide plurium dubiorum solutionem dederat[1].

« 1. Si quae alumnae aut aliae puellae ritus orientalis recipiendae sint in congregationem religiosam latini ritus, supplicandum SS^m^ ut ipsae, quin ideo ad ritum latinum transeant, sic receptae in hujusmodi Congregationem, quamdiu in eadem perseveraverint, in omnibus, etiam quoad communionem paschalem, latino ritui sese conformare possint et debeant. Quod si deinceps, quacumque de causa, ad Congregationem pertinere desierint, eo ipso suum ritum orientalem sequi teneantur.

2. Si alumni vel alii in Ordinem seu Congregationem Religiosam latini ritus ad statum clericalem sint recipiendi, recurrant ad S. Sedem.

3. Quoad recipiendos vero in hujusmodi Ordinem aut Congregationem ad statum laicalem supplicandum SS^mo^ pro indulto se ritui latino accomododandi, quamdiu in eodem laicali statu perseveraverint, prout supra de Sororibus religiosis dictum est. Quod attinet ad Communionem paschalem, ad Secretarium cum SS^mo^. — SS^mus^ approbavit, sed quoad communionem paschalem decrevit ut, si in locis in quibus ipsos morari contigerit, adsit proprii ritus ecclesia, in ea paschalis Communionis praecepto satisfaciant[1]. » (1 junii 1885.)

1. Col., t. II, p. 207, n° 1633.

110. Recentia exempla ex opere P. Nilles deprompta demonstrant luculenter quanta cura adlaborarint Summi Pontifices in conservandis ritibus orientalibus.

In audientia 16 januarii 1883, SS^mus^, attentis peculiaribus circumstantiis bulgaricae missionis, cui religiosi viri ab Assumptione nuncupati inserviunt, et praehabito voto R. P. D. Delegati Aplici. Cplitani., benigne concedere dignatus est, ut presbyter Franciscus Chichkoff et laicus Jacobus Chilier, uterque in ea Congregatione professi, e latino ad ritum graeco-bulgaricum transire valeant, vetito omnino in posterum reditu ad pristinum ritum. »

In audientia 8 februar. 1881, sacerdos maronita facultatem ad ritum latinum transeundi petit ut vota emittere possit in Congregatione Missionis. SS^mus^ remisit preces R^mo^ Superiori Gli. Congregationis Missionis cum facult. necess. et opport. ad hoc ut durante novitiatu oratori permittat sese in omnibus conformare ritui latino.

Eodem anno petitur a Procurato Gli. Missionum P. P. Capuccinorum ut admittantur in Novitiatum tres alumni ritus orientalis. SS^mus^ attentis peculiaribus in casu concurrentibus et de speciali gratia benigne annuit juxta petita, servatis in reliquo de jure servandis, et cauto quod juvenes, de quibus in precibus in ritu cui legitime addicti sint permaneant...

In Congregatione Gli. 24 april. 1882, propo-

sito dubio : « An et quid faciendum sit ut dirigatur et incitetur zelus Aug. ab Asumptione in favorem Bulgarorum ritus graeci » responsum fuit : « Affirmative et ad mentem. Mens est quod Aug. ab Assumptione poterunt de consensu Cong. de Prop. F. in novitiatum admittere juvenes bulgaros, salvo proprio ritu orientali. »

In audientia 1 februar. 1881, chaldaeo-catholico facultas concessa fuit ingrediendi in Ordinem P. P. Franciscanorum et indultum sese conformandi latino ritui in omnibus, durante tamen novitiatu.

Quae gratia similiter concessa fuit sacerdoti ritus rutheni in Novitiatum P. P. Resurrectionistarum admisso. Illi indulgere dignatus est S. P. in audientia 17 maii 1881 ut conformare se valeat praescriptionibus ritus latini quoad festa, abstinentias et jejunia, necnon quoad recitationem divini officii in communi, dummodo latinam calleat linguam, idque firmo remanente proprio graeco-rutheno ritu ac durante dumtaxat novitiatu.

In audientia 14 junii 1881, SS^{mus} facultates necessarias et opportunas ad triennium tribuere dignatus est, quibus sororibus a Charitate provinciae croatico-slavonicae, quae educationi atque instructioni puellarum bulgararum Adrianopoli operam navabunt, perpetuum transitum ad ritum graeco-bulgaricum concedere, easque, indulto tamen quotannis

renovando, ac remoto scandalo, ab abstinentiis et jejuniis ejusdem ritus propriis dispensare valeat, ita ut hac tantum super re praescriptionibus Ecclesiae latinae sese conformare possint[1].

111. Art. xi. — « Si qua ex dissidentibus communitas vel familia vel persona ad catholicam unitatem venerit, *conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus*, huic ritui remaneat ea quidem ad tempus adstricta, in ejus tamen potestate sit ad nativum ritum catholicum aliquando redire. Si vero ejusmodi conditio non intercesserit, sed ideo ipsa communitas, familia, persona a latinis presbyteris administretur quia desint orientales, regrediendum ipsi erit ad ritum suum, statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia. »

112. Perpendenda sunt verba textus : « conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus ». Quidam has voces « interposita » et « imposita » immerito confundentes supponunt hanc conditionem amplectendi latini ritus ab ipsis missionariis impositam fuisse pro neoconversis ad unitatem revertentibus. Quae hypothesis illico eliminanda est, cum nullo missionario unquam licitum sit tam injustam conditionem imponere. Et ideo sic inter-

1. Nilles, SJ., *Symbolae*, Innsbruck, 1885, t. I, p. 94-95.

pretanda sunt haec verba : « conditione velut necessaria (a schismatico posita) amplectendi latini ritus ».

113. Potestne transire ad ritum latinum absque obtenta licentia Apostolicae Sedis ? Pro negativa stant aliqui auctores, v. g. P. Michel qui dicit : « Orientalis qui ad sinum Ecclesiae redit, facultatem habet veram fidem profitendi sub conditione quod ritum latinum sequatur, subintellecta tamen venia Sanctae Sedis[1]. »

Econtra censemus Orientalem neoconversum nullomodo coactum esse ad expetendam veniam Sanctae Sedis, quando ad unitatem venit, interposita conditione amplectendi latini ritus. De hac licentia nulla fit mentio in Constitutione. Sane scimus cavendum esse omnino missionario qui orientalem schismaticum reducere cupit ne eumdem ad latinum ritum amplectendum contendat, et ideo suscipiendi sunt ad orientalem ritum, non autem ad latinum absque venia Sanctae Sedis, prout dicitur in decreto 1 junii 1885. In praesenti autem agitur de schismatico qui declarat ad ecclesiae unitatem redire nolle, nisi illi integrum sit ut ritum latinum sequatur.

Insuper idem auctor dicit : « Orientalis qui per aliquod tempus ritum latinum secutus est facultatem habet ad nativum ritum redeundi

1. *L'Orient et les deux lettres apostoliques*, p. 47.

absque venia Sanctae Sedis. » Cum juxta P. Michel, consensus Apostolicae Sedis non petitur pro neoconversis ritui latino addictis qui ad nativum ritum catholicum redire cupiunt, recte dicitur eumdem consensum necessarium non esse pro conversis qui amplectuntur ritum latinum, interposita conditione hunc ritum sequendi. In secunda parte nil dicitur de licentia Sanctae Sedis quae inutilis est, ergo inutilis est et in prima parte ejusdem articuli, cum de ea nulla fiat mentio.

In praxi, missionarius in Oriente nullam licentiam petit a Sancta Sede in casu schismatici qui veram fidem recognoscit, interposita conditione amplectendi latini ritus.

114. In fine articuli XI citantur principia jamjam stabilita et usu confirmata : nempe exercitium ritus latini temporaneum, deficiente sacerdote ritus orientalis non constituere verum transitum ad eumdem ritum : quocirca regrediendum est ad ritum sum statim ut sacerdotalis orientalis fuerit copia.

115. Relate ad hunc articulum, sequens dubium S. C. de Prop. Fide propositum fuit a Delegato Apostolico Syriae : « *a*) Vigentne dispositiones articuli XI non tantum pro futuro tempore, sed etiam pro praeterito, id est pro dissidentibus qui veram fidem amplexi fuerunt conditione imposita ritus latini adoptandi, vel

Latinorum jurisdictioni subjecti fuerunt haud imposita hujusmodi conditione aut sine transitu ad ritum latinum?

R. — Priores possunt, cum consensu Sanctae Sedis, ad ritum orientalem catholicum reverti; alii debent ad proprium ritum regredi statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia.

b) Sub nomine « dissidentium » debemusne comprehendere heterodoxos in schismate natos aut etiam illos qui in catholica religione nati, ab eadem postea defecerunt? R. — Affirmative quoad utramque partem.

c) Quatenus affirmative ad secundam partem, sub hac voce comprehendunturne recentes apostatae vel etiam ii qui veram fidem a longo tempore jam dereliquerunt? R. — Quamvis sub hac voce « dissidentes » intelligantur tam christiani in haeresi nati quam apostatae sive recentes sive non; apostatae tamen privilegio articuli XI frui nequeunt ad ritum latinum sequendum, imposita conditione hujus ritus latini adoptandi[1]. »

116. XII. « Matrimoniales et ecclesiasticae, quaecumque sint causae, de quibus ad Apostolicam Sedem appellatio fiat, nequaquam Delegatis Apostolicis definiendae, nisi aperte ea jusserit, committantur, sed ad Sacrum Con-

1. 28 mai 1895. *Cfr.* Archiv. Deleg. Apost. Constantin.

silium christiano nomini propagando deferantur. »

Nil dicendum.

117. XIII. « Patriarchae Graeco Melchitae jurisdictionem tribuimus in eos quoque fideles ejusdem ritus qui intra fines turcici imperii versantur ».

Cfr. art. II.

DE POENITENTIA

SACRAMENTI POENITENTIAE FORMA.

118. Forma indicativa et forma deprecatoria. — In absolutione sub forma indicativa, minister condonat peccata : « Ego te absolvo. »

In absolutione sub forma deprecativa, minister a Deo petit ut condonentur peccata. Aliquando mentionem facit posterior forma de potestate quae sacerdotibus competit, ex. gr. : « Deus tibi condonet peccata per me » ; aliquando tamen nullum habet verbum de hac facultate : « Deus tibi remittat omnia peccata quae confessus es. »

Forma absoluta seu indicativa in usu est apud Latinos, Syros, Armenos, Slavos et Ruthenos.

Forma deprecativa adhibetur a Graecis, Coptis et Nestorianis.

119. Historia formae deprecativae in Ecclesia latina. — Late per Ecclesiam

occidentalem in usu fuisse formam deprecativam usque ad saeculum XIII omnes ostendunt. Insigne testimonium habemus in operibus Gulielmi Parisiensis qui dicit : « Confessor non pronunciat more judicum saecularium : « te absolvimus, tibi condonamus », sed orationem facit super poenitentem ut Deus illi concedat absolutionem et gratiam sanctificationis. » Formae igitur consuetae sic efferebantur : « Deus tibi condonet peccata tua... Gratia Spiritus Sancti habeat condonata peccata tua » ; attamen hodiernam formam ante XIII saeculum in latina ecclesia introductam fuisse ultro conceditur.

Anno 1230, proferunt auctores indicia usus simultanei formae deprecativae et formae indicativae, quas sacerdotes successive pronunciabant. Formae indicativae exclusivus usus invaluit circa tempus S. Thomae, ita ut, omissa hac forma, absolutio fuisset invalida. Haec opinio sustinetur a doctoribus Universitatis Parisiensis qui ore unanimi affirmant absolutionem nullum valorem habere cum sola forma deprecativa. Cujus sententiae ratio principalis sic enunciatur. Forma effectum sacramenti omnino producere debet. Atqui forma deprecatoria non dicit quod conceditur absolutio, sed implorat ut concedatur. E contra forma indicativa « absolvo te » sensum plane assertorium habet; efficit quod significat et ideo gratiam absolutionis confert. Pro Sancto Tho-

ma stant auctores XIV, XV et XVI saeculi.

Saeculo decimo septimo, theologi studio antiquitatum ecclesiasticarum libenter dediti, sedulius perpenderunt difficultates quas proponebant liturgiae orientales contra usum exclusivum formae indicativae. Juxta Joannem Morinium, auctoritati Ecclesiae incumbit ut determinet formam Poenitentiae; ergo quaelibet absolutionis forma valida est inquantum praescripta fuit ab Ecclesia pro locis vel temporibus determinatis. Eamdem sententiam propugnat Tanquerey.

120. Si haec opinio veritati innitatur, recte sustinetur formas deprecatorias adhuc suam vim habere sicut et formas indicativas quolibet tempore seu loco, quando Ecclesia illarum usum permisit vel determinavit. Aliunde, ut dicit Tanquerey, forma deprecativa cum intentione absolvendi et attentis circumstantiis, ostendit sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi auctoritate ejus absolvere, non autem impedit quin sacerdos sit judex vereque ministerialiter absolvat.

Juxta *Vacant*, quaecumque forma est valida dummodo implicite contineat ea quae ad essentiam sufficiunt in forma « Ego te absolvo »; in quo casu nulla adest necessitas ut invocetur potestas quam haberet Ecclesia relate ad formas Sacramentorum. Videbitur infra utrum formae Poenitentiae quae in usu sunt apud

Orientales, verbi gratia, apud Graecos, conditiones praecitatas adimpleverint. Quidam auctores formam deprecativam invalidam esse contendunt in Ecclesia latina; nam, ut aiunt, judicia confessoris non debent hoc modo fieri; vindicant autem auctoritatem concilii Florentini et Tridentini et auctoritatem Ecclesiae.

DECRETA CONCILIORUM ET PONTIFICUM.

121. Legitur in decreto ad Armenos : « Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis quae sacerdos profert : Ego te absolvo. »

In Concilio Tridentino habetur : « Docet Sancta Synodus Sacramenti Paenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : Ego te absolvo, etc., quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae. »

Ergo, ut paucis dicamus, juxta doctrinam Ecclesiae, verba absolutionis essentialia sunt : « Ego te absolvo », aliae preces laudabiliter adjunguntur, quae tamen ad essentiam et integritatem Sacramenti non pertinent.

In Instructione Clementis VIII (1595) dicitur : « Utantur forma absolutionis in generali concilio praescriptâ, et postea, si voluerint,

dicant orationem illam deprecativam, quam pro formâ hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt. » Quod decretum citatur a Benedicto decimo quarto in Bulla *Etsi pastoralis*. Prout constat ex verbis Decreti, jubent Clemens VIII et Benedictus XIV ut adhibeatur formula indicativa in his rerum adjunctis in quibus Sacerdos ritus graeci latinum absolvit; in aliis circumstantiis, utitur forma deprecativa.

Ceterum, haec Instructio ad solos Italo-Graecos mandata fuit, et ideo non obligat sacerdotes aliorum rituum orientalium. Ergo non possunt afferri decreta Ecclesiae quae aliquam dubitationem involvant pro formula deprecationis in usu apud Graecos; in contrarium, instructiones praecitatae directe approbant usum hujus formae in confessione fidelium orientalium. Aliunde decretum S. Officii (6 sept. 1865) haec habet : « Sacerdotes confessarios orientales in excipiendis Sacramentalibus confessionibus fidelium latini ritus uti debere forma et lingua proprii adprobati ritus, nisi aliter ab apostolica Sede indultum vel decretum fuerit[1]. » Haec verba clare testantur utramque formam eodem valore gaudere.

1. Col., t. I, p. 702, n° 1275.

FORMULAE GRAECORUM SCHISMATICORUM ET GRAECORUM UNITORUM.

122. Postquam poenitens confessionem instituerit, sacerdos recitat aliquas preces quarum prima in usu apud heterodoxos et unitos invenitur in Euchologio Romae edito[1]. « Deus solus potestatem habet remittendi peccata, » dicit confessor. Deinde citat verba Domini nostri Jesu Christi ad Apostolos : « Quodcumque solveritis, solvetur. » Postea dicit ad poenitentem : « Omnia quae confessus es nostrae humilitati, et omnia quae omisisti per ignorantiam seu oblivionem Deus tibi condonet in praesenti mundo et in futuro. » In secunda oratione commemoratur absolutio a Deo data ad Petrum, ad mulierem adulteram, ad publicanum, et eadem gratia pro poenitente imploratur.

Tertiam orationem ex integro afferimus. « Dominus qui per Nathan condonavit peccatum a David commissum et absolutionem dedit Petro suam culpam amare deflenti et peccatrici pedes Jesu cum lacrymis osculanti, publicano et filio prodigo, dignetur etiam tibi condonare per me peccatorem in hoc saeculo et in futuro, ac te conducere cujuslibet condemnationis expertem coram tremendo Dei tribunali. »

1. Εὐχολόγιον τὸ μέγα, Rome, 1873, p. 207.

Haec ultima forma, quanquam a Deo petit ut peccata dimittat, loquitur tamen de potestate ministeriali sacerdotis ac optat in oratione ut Dominus peccatorem absolvat per ministerium confessoris; significat ergo ea quae sunt essentialia et recte aequivalet his verbis : Ego te absolvo. Ea est ratio ab aliquibus auctoribus allata ut hujus formae deprecatoriae valorem propugnent. Aliunde, hae formulae quas legimus in Euchologio Romae edito gaudent approbatione saltem indirecta Sanctae Sedis.

123. Habentur aliae formae in usu vigentes apud Italo-Graecos Siciliae, Italiae meridionalis et Brutii. Prima invenitur in Euchologio Benedicti XIV cum hoc titulo : « Εὐχὴ ἑτέρα » et secunda titulum habet : « Oratio abbreviata, Εὐχὴ ἑτέρα συνοπτική. » Posterior fere concordat cum forma latina ut aperte constat ex verbis formulae : « Deus et Dominus noster Jesus Christus qui Apostolis suis dedit mandatum loquendi et solvendi, tibi dimittat ex alto coelo culpas tuas et peccata tua. Et ego, Dei humilis servus, juxta haec verba auctoritatem habens idem faciendi, te absolvo ab omni excommunicatione in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo ab omnibus peccatis quae confessus es coram Deo et me indigno; in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. »

In praxi, multi sacerdotes ritus graeci hanc orationem abbreviatam dicunt super paenitentem, quin adsit obligatio illam adhibendi.

124. Conclusio. — Non est ergo legitima ratio ut nobis dubius videatur valor formae deprecatoriae apud Graecos praevalentis, quum admittatur in libris S. C. de Prop. Fide ac implicite sensum assertorium seu indicativum contineat. Concesso autem valore hujus formae pro Ecclesia Graeca, quaeritur utrum valida sit in Ecclesia latina.

Quidam auctores contendunt formas ab Ecclesia praescriptas valere tantum in iis locis vel temporibus ubi Ecclesia earum usum determinavit,et ideo dicunt formam deprecatoriam esse invalidam in Ecclesia latina. Sic sentiunt Morin, Tournely, Juenin, etc., quorum sententia forsitan praebuit ansam interdictioni latae a Clemente VIII et Benedicto XIV ne utantur Graeci forma deprecativa ad absolvendos latinos. In materia Sacramentorum tutius servandum est; quum autem juxta quosdam auctores, forma deprecatoria pro absolutione latinorum invalida sit, melius erat ut in hoc casu adhibeatur forma deprecatoria. Eodem modo recte explicatur decretum Clementis VIII et Benedicti XIV; secus non intelligitur cur formula deprecativa quae pro Graecis indubium valorem habet, pro Latinis ut insufficiens reputanda sit.

MINISTER POENITENTIAE.

JURISDICTIO SACERDOTUM SCHISMATICORUM.

125. Saepe in Oriente agitatur quaestio circa jurisdictionem ministrorum religionis heterodoxae. Petitur utrum valida sit absolutio data ab his sacerdotibus. Ad solutionem hujus dubii parum refert ut libros theologiae moralis vel juris canonici inspiciamus, quippe qui de hac re nil dicunt. Ex altera parte, Sacrae Congregationes nullum documentum authenticum protulerunt ad dirimendam difficultatem ita ut argumenta solutionis habeant tantummodo aliquam vim probabilitatis.

126. In primis indubitanter asseritur ministrum schismaticum valide absolvere saltem ratione erroris communis, data etiam hypothesi quod hujusmodi ministri nulla fruantur jurisdictione, nec ordinaria, nec delegata : concedendum est in his rerum adjunctis Ecclesiam supplere pro bono animarum communi.

Quandonam Ecclesia defectum jurisdictionis supplet, ita ut valida sit absolutio? Defectum jurisdictionis Ecclesia certo supplet si minister potestatem exercens, suae potestatis titulum coloratum habet et simul error communis est. Porro sacerdos schismaticus suae

potestatis titulum coloratum habet; praeterea heterodoxi suos ministros potestate legitima praeditos esse putant.

127. Num autem adest tantummodo Ecclesiae suppletio? Aliis verbis, illicitum non est asserere sacerdotes haereticos vera jurisdictione gaudere, non solummodo quia Ecclesia supplet in casu delegationis extraordinariae vel erroris communis, sed etiam quia ministri schismatici suam potestatem nunquam amiserunt. Nobis videtur quod absolvendi facultatem conservarunt, et haec sententia nullomodo laedit principia juris canonici vel theologiae. In theologia valet axioma : Nec fides, nec sanctitas seu status gratiae requiruntur ad validam sacramentorum administrationem; ad valorem sacramenti exigitur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Haeresis autem per se nunquam est ratio sufficiens dubitandi de intentione requisita.

Frustra objicitur schismaticos esse excommunicatos et ideo omni jurisdictione destitutos. Revera fidelis, auctoritatem Ecclesiae scienter et volenter contemnens, excommunicationis notam incurrit; attamen discrimen inter ipsos excommunicatos viget, quorum alii tolerati, alii vitandi nuncupantur.

128. Juxta principia juris canonici, excommunicatus toleratus graviter peccat si praeter

necessitatem sponte se ingerit sacramentis administrandis; attamen valide etiam poenitentiam confert, siquidem jurisdictione non privatur, cum hoc ad utilitatem fidelium expediat. Econtra vitandus illicite confert sacramenta, et etiam invalide poenitentiam, cum jurisdictio ei subtrahatur. Ergo secundum doctrinam communem toleratus illicite sed valide confert absolutionem. Porro apud omnes constat haereticos orientales adnumerari inter toleratos debere. Plerique ministri schismatici haeretici tantummodo materiales rectius vocantur, quum in bona fide reperiantur ac prorsus ignorent fidei puncta circa quae versatur error schismaticorum : certum est tales ministros valide et etiam licite administrare Sacramenta quoties a fidelibus suis ritus rogantur.

129. Ultro conceditur excommunicatum toleratum non esse destitutum jurisdictione qua prius gaudebat : nunc tota difficultas in eo est utrum scilicet sacerdos haereticus qui ab unitate semper defecit, jurisdictionem legitimam aliquando habere potuerit. Etenim quaelibet jurisdictio emanat ab authentico Ecclesiae capite, nec alium habet originem. Si autem respondetur facultatem absolvendi huic ministro schismatico a patriarcha vel metropolita fuisse concessam, haud immerito petimus utrum patriarcha vel metropolita veram jurisdictionem sibi vindicare queant. En quaestio.

Pro parte negativa stant plures, eo quod, ut dicunt, Summus Pontifex nunquam agnovit Patriarcham vel praesules schismaticos. Ita sane; attamen Summus Pontifex nullo speciali documento ademit jurisdictionem quae competit praesulibus schismaticis Ecclesiae orientalis. Revera, in casu Graecorum unitorum, post unionem in concilio Florentino habitam, citaturne vel unum decretum quo Ecclesia solemnem censuram excommunicationis inflixit Graecis in via haeresis denuo errantibus? Minime. Ergo cum in actis Sanctae Sedis nil reperiatur quod aequivaleat intentioni jurisdictionem schismaticorum supprimendi, ideo merito sentimus Summum Pontificem propter bonum commune animarum facultatibus praesulum orientalium ullomodo praejudicare noluisse.

Adsunt quaedam indicia saltem indirecta hujus tolerantiae qua Summus Pontifex utitur cum Orientalibus schismaticis. Sic Congregatio interrogata de modo quo solvitur casus catholici apud ministrum schismaticum confessionem instituentis; sequens responsum dedit: « Non licere, » quin aliquid pronunciet contra valorem absolutionis. Insuper quoties reconciliantur schismatici ad unitatem redeuntes, Ecclesia petit ab illis ut professionem fidei emittant. Confessionem generalem non imponit: quod tamen necessarium fuisset, si confessiones praeteritae invalidae fuissent.

Demum, ut supra vidimus, S. C. S. Officii judicavit non expedire ut pueri a ministris schismaticis confirmati iterum ab Episcopo inungantur. Porro si Ecclesia non revocaverit pro ministris orientalibus facultatem conferendi sacramentum confirmationis, asserere debemus pro iisdem ministris conservatam fuisse potestatem absolvendi, quippe quae poenitentia, confirmationi comparata, prae se fert majorem utilitatem pro salute animarum.

130. Conclusio. — Propter rationes supra expositas, censemus Ecclesiam in tuto reliquisse, propter bonum animarum, jurisdictionem ad valorem absolutionis necessariam.

CATHOLICUS POTEST NE CONFITERI MINISTRO SCHISMATICO ?

131. Huic quaestioni : « An liceat absolutionem sacramentalem accipere a schismaticis ? » S. C. de Prop. Fide respondit : « Nullo casu neque necessitatis licere catholico confiteri peccata sua et absolutionem obtinere a sacerdote schismatico. Attamen, si agatur de casu mortis, aliter rem se habere censendum[1]. »

Revera Archiepiscopus Smyrnensis (7 jul. 1864) interrogaverat S. C. S. Officii utrum in

1. Col., t. I, p. 281, n° 439.

periculo mortis, deficiente sacerdote catholico, licitum esset quaerere absolutionem a sacerdote schismatico? R. « Licere, dummodo tamen et aliis fidelibus non praebeatur scandalum nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem haereticum administraturum hoc sacramentum secundum ritum Ecclesiae[1]. »

Nil novi in decreto supra dicto docetur, etenim Trid. Conc. antea dixerat : « Verumtamen pie admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia semper custoditum fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. »

Illud autem *quoslibet sacerdotes* sic intelligitur ut deficiente alio sacerdote, etiam sacerdos haereticus, vel excommunicatus vitandus absolvere possit, et, si requiritur, absolvere debeat.

132. Exsurgit in Oriente alia practica difficultas pro catholicis in schismaticorum regione degentibus qui gravatos se peccato mortali sentiunt. Possuntne absolutionem petere a ministro schismatico (excluditur scandalum et periculum ne fidelis pervertatur) aut

1. Col., t. I, p. 692, n° 1257.

satiusne est expectare sacerdotem catholicum per duos et tres menses, etiam cum timore ne interim morte rapiantur ?

In hac circumstantia optabile esset ut fidelis catholicus paci conscientiae studere posset per contritionem perfectam. Quid autem si nec satis consultum putaret per actum contritionis ? Nostra sententia, hic fidelis culpae mortalis conscius, gravis peccati reatum non incurreret si ministrum haereticum adiret et illi peccatum confiteretur ne diu in statu peccati mortalis manere deberet.

133. Schismaticus potestne confiteri ministro catholico ?

Liceatne sacerdoti catholico schismatici confessionem audire et illum absolvere ? Pluries hanc quaestionem solvit Ecclesia.

« In aliquibus nosocomiis Delegationis meae, scribit Delegatus Apostolicus Syriae, introductus fuit usus dandi moribundis haereticis vel schismaticis absolutionem conditionalem ; nullus autem ab illis exigebatur actus per quem saltem implicite haberi possint ut reconciliati cum Ecclesia catholica, sive hoc fieret propter impossibilitatem aliter agendi, sive propter timorem ne turbaretur conscientia moribundi in bona fide versati. R. Usum de quo Delegatus Apostolicus Syriae loquitur, prout exponitur, esse improbandum [1]. »

1. Col., t. I, p. 689, n° 1246.

Facile intelligitur cur Sacra Congregatio declarat improbandam esse praxim ex qua deduceretur absolutionem dandam esse schismaticis aeque ac catholicis. Totus missionarii labor in eo est ut moribundi conversionem procurare satagat; si autem mors immineat ac desit tempus ad eum instruendum in vera fide, motum doloris excitabit, deinde absolutionem sub conditione conferet.

134. En casus S. Cong. S. Officii die 22 jul. 1898 propositus : « Bonifacius in partibus schismaticorum orientalium arduam missionarii apostolici vitam agens, quadam die in tribunali poenitentiae sedens, inter alias Agatham invenit. Quae generalem anteactae vitae confessionem apud ipsum instituendam humiliteret enixe petit.

Agathae petitioni Bonifacius annuens, eam maxima patientia et caritate audit et adjuvat, sed ecce, dum bona mulier ordine et praecisione admirabili necnon fervida fide, humilitate ac lacrymarum copia sordes confitetur, hoc deinde subjungit : Se nunquam suis sacerdotibus utpote pravis moribus imbutis ac sacramenti sigilli minime curantibus, conscientiam suam ita fideliter aperuisse, ac denique confessarium exorat ut ei det veniam se apud ipsum semper in posterum peracturam, ut Eucharistiae sacramentum in sua propria Ecclesia recipere digne valeat. Quibus auditis, confes-

sarius illam comperit non esse de gremio, saltem de corpore Ecclesiae catholicae, et anxius non parum factus, secum quaerit quomodo cum spirituali poenitentis bono haud facile judicium componat. Ac primo quidem de praecipuis fidei articulis illam interrogat quam satis instructam reperit, dehinc prudenter sciscitatur ab ea quid de schismate sentiat, quidque de necessaria fide ac subjectione in Ecclesiam catholicam atque in ejus visibile caput.

Quibus illa: Christiana sum, respondit, schisma nescio quid sit, ego unam ubique terrarum veram Christi religionem agnosco, in qua vivere et mori cupio: me certe non refert de quaestionibus judicare, quae sicut a sacerdotibus exortae sunt, ita et ab ipsismet christiana inter se caritate concilientur. Quare, sequitur devota mulier, cum crastina die sit apud nos ob peculiare festum magnus in communione altaris populi concursus, obsecro te pater sancte, ut sicut meam plenam confessionem jam audivistit, ita nunc et absolvas me pauperculam a peccatis, de quibus maxime doleo, ut et ego exultanti animo ad Sacram Synaxim accedere possim.

Mulieris constantiam admiratus, cum ex sua parte de illius bona fide certus sit, et ex altera serio timens ne amplior disquisitio obfutura ei magis quam profutura esset, autumans se bonum facere, Bonifacius Agatham, ceteroquin confessam et contritam absolvit. Nec

tandem impedit quominus S. Eucharistiam per ministrum schismaticum accipiat, silentio concedens quod per se concedere non posset eo vel magis quod ipse optime noscat sacramenta, ritus et preces, apud schismaticos, nihil in se continere quod catholicum non sit.

Hinc quaeritur.

1. An aliquando absolvi possint schismatici materiales qui in bona fide versantur ?

2. An eisdem concedi possit, *saltem tacite,* ut in propriis ecclesiis aliquando sacramenta recipiant, atque sacris functionibus assistant ?

3. An Bonifacius bene revera agit, et quid ei consulendum ?

Ad 1 : Cum scandalum nequeat vitari, negative, praeter mortis scandalum ; et tunc efficaciter remoto scandalo.

Ad 2 : Negative.

Ad 3 : Negative ; et consulendum confessario, ut praehabita licentia a poenitente, ipsam opportune et caute moneat[1]. »

135. Regulariter loquendo, liberum est cuilibet sacerdoti approbato absolvere haereticos materiales, subintellecta tamen conditione : si suam haeresim respuerint. Porro in casu agitur de quadam schismatica quae perseve-

1. *Analect. eccles.*, t. VI, p. 387.

rat in professione religionis heterodoxae. Omnes autem dicunt ad sacramenta admitti non posse eos qui in externa professione sectae heterodoxae aliquandiu vixerint, antequam formalem abjurationem ediderint; quamdiu enim hanc professionem non fecerint, saltem in externo foro, habendi sunt tanquam ab Ecclesiae communione separati. Si ad sacramenta admitterentur dum bona fide in suis erroribus perstent, ansa daretur existimandi parvi momenti esse discrimen quod inter fidem catholicam et schismaticos errores vigeat.

136. POTESTNE ORIENTALIS LATINUM CONFESSARIUM ADIRE ET VICE VERSA LATINUS ORIENTALEM? — Responsum afferunt Litterae S. Cong. de Prop. Fide ad Archiep. Alepp. Graeco-Melchit.[1] (2 jun. 1835) : « S. Sedes semper hoc principium tenuit non debere ullo modo libertatem christianorum coarctari in re adeo delicata ut est sacramentalis confessio, semperque voluit, ut cuivis licitum esset culpas suas ei inter sacros ministros approbatos manifestare qui ipsi esset gratior. Similiter nunquam prohibuit, ne confessarius approbatus in propria ecclesia confessiones cujusvis catholici exciperet, qui ipsi se ad s. tribunal sisteret.

Sic non est christianis interdictum ab una dioecesi in alteram se pro confessione per-

1. COL., t. I, p. 488, n° 839.

agenda conferre. Insuper etsi pro implendo praecepto paschali christianus debeat in propria parochia S. Communionem percipere, non obligatur tamen hac occasione apud parochum confiteri. Haec fuit semper et est maxima et praxis servata a S. Sede. Nunquam porro ulla ritus distinctio facta est, cum praesertim administratio hujus sacramenti non ferat secum mutationem ritus, imo S. Sedes ipsa quoties dubium super particulari hac re mota est, declaravit non debere in tali genere ullam limitationem poni. Unde ann. 1626 die 5 junii, severe prohibuit aliquibus episcopis latinis, ne subditos suos impedirent a confessione apud sacerdotes ruthenos instituenda et vice versa. En decretum : « Non debere latinos episcopos prohibere subditis suis, ne confessiones faciant cum sacerdotibus ruthenis ab Ordinariis locorum approbatis, nec e contra Episcopos ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare, ne confessarios latinos approbatos ad excipienda peccata sua adeant. Nam cum Rutheni uniti sint vere catholici, ubi ritus diversitas non repugnat, discordias dissidia inter eos excitantes vel nutrientes introducere inconveniens et damnosum est. »

Eadem quaestio adhuc semel tractata est. Die 11 dec. 1838, S. Congr. has diremit quaestiones : « Possuntne episcopi orientales respectivi sui ritus hominibus pro suo lubitu prohibere, ne confiteantur peccata sua missio-

nariis latinis etiam praeter tempus paschale, et in die festo v. g. patronali? Si non obstanti illa episcopali prohibitione accedat unus aut alter ex praedictis hominibus ad missionarium confitendi gratia, peccatne confitens, peccatne missionarius, qui alias accipit confessionem, aut illi in missionis suae ecclesia sacram administret confessionem?

Resp. Ad 1. Negative in omnibus etiam quoad S. Communionem ubi ritus diversitas non repugnet.

Ad 2. Negative ad primam partem si agatur de prohibitione generali cuipiam facta ob peculiares causas S. Congregationi exponendas; et negative etiam ad secundam, nisi obstet diversitas ritus. »

137. Modo loquendum de casu qui saepe accidit in collegiis Orientis. Frequenter evenit verbi gratia ut puer schismaticus agere cupiat more suorum sodalium catholicorum, et ideo suam confessionem instituere velit apud sacerdotem catholicum? Licetne confessori audire pueri confessionem ac conferre absolutionem? Pro negativa standum est; non enim sunt absolvendi haeretici materiales priusquam professionem verae fidei emiserint. Aliqui dicunt in hisce rerum adjunctis fieri posse ut audiantur peccata quin absolvantur; aliis autem videtur melius servari prudentiae regulas si sacerdos in praxi non tantum ab absolvendo

abstineat, sed etiam ab audiendis peccatis.

Forsan objicies in hac materia invocari non posse ullam specialem prohibitionem; communiter respondetur poenitentem non confiteri nisi in ordine ad recipiendam absolutionem, et ideo ordinarie removendum est quidquid confessionem sapiat. Si pueri schismatici ministrum catholicum sua sponte adeant, salutaria consilia dabit ut in animis excitetur peccati detestatio et dolor, quin ullo modo confessionem audire incipiat.

Quid autem si discipuli schismatici velint apud sacerdotem catholicum intimam conscientiae manifestationem peragere? Nullo modo prohibetur quominus schismatici libere ac ultro aperire suam animam sacerdotibus catholicis valeant. Distinguendum est enim inter aperitionem conscientiae quae fit ad consilium capiendum in via progressus spiritualis et intimam conscientiae scrutationem quae unice Sacramento Poenitentiae reservatur. Secunda prohibetur, prima licita est dummodo nec locus, nec conversationis forma Sacramentum Poenitentiae indicent.

Difficultas adest in assignando loco ubi fiet haec aperitio conscientiae, in conversatorio vel in sede confessionali : ad hanc quaestionem dirimendam sufficit ut prudentiae ac disciplinae normam quisque sequatur.

RECONCILIATIO HAERETICORUM ET SCHISMATICORUM.

138. Excommunicatio speciali modo reservata lata fuit contra omnes ac singulos haereticos quocumque nomine censeantur et cujuscumque sectae existant. Sub hac voce « haereticos » comprehenduntur ii tantum qui externe formalem haeresim admittunt; non refert tamen utrum quis haeresim proferat solus aut coram aliis, utrum verbo scripto aut facto. Hinc patet non omnes qui in secta haeretica educati sunt, huic censurae subjacere : siquidem multi nunquam formalem haeresim admiserunt.

Haeresis formalis est error voluntarius et pertinax contra fidem in eo qui fidem suscipit. Et ideo ad formalem haeresim constituendam requiritur error contra veritatem quae in verbo Dei scripto vel tradito continetur et ab Ecclesia tanquam divinitus revelata proponitur. *Voluntarius et pertinax,* nam malitia haeresis residet praecipue in actu voluntatis; haec autem pertinacia essentialiter in hoc consistit quod aliquis judicium hoc erroneum retinere vult, sciens contrarium teneri ab Ecclesia.

Haeresis materialis consistit in hoc quod aliquis errorem aliquem objectivum contra fidem catholicam sine pertinacia admittat vel

affirmet. In hoc casu, ignorantia est in intellectu. Quid vero putandum de conditione eorum qui in secta aliqua acatholica nati sunt? Hi mere materialiter haeretici sunt, neque contra fidem peccant quamdiu de sectae suae veritate nullatenus dubitant.

Conclusio. Nisi vetat lex ab Episcopo specialiter lata, simplex confessarius haereticum materialem absolvere potest eo quod in casu haereticus ab excommunicatione immunis est. Imo potest absolvere haereticum formalem qui paenam peccato adnexam ignorat : excommunicatio enim a nesciente incurritur. Ergo censurae subjacet solus haereticus formalis qui excommunicationis plenam scientiam habet.

139. Quomodo fit reconciliatio? — Duobus modis fieri potest : in foro externo vel in foro interno.

Episcopus absolvere potest in utroque foro haereticos notorios quorum causa ad tribunale defertur.

Inter facultates a S. S. D. N. Papa Vicariis App. in locis missionum concessas haec legitur sub num. 15 videlicet : absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur haereses, deliquerint ; nec illos qui judicialiter

abjuraverint, nisi isti nati sunt ubi impune grassantur haereses et post judicialem abjurationem illuc reversi, in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

Quaeritur primum : utrum harum facultatum vigore, ab haeresi externa occulta, Vicariis Apostolicis quoscumque delinquentes eorum jurisdictioni subjectos, etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares absolvere fas sit? Ratio dubitandi quoad facultatem sub num. 15 est quia ibi fit sermo de S. Officio, et de judiciali abjuratione, quod certe nisi in haeresi externa publica locum habet, et insuper in hac facultate exceptio datur locorum in quibus haeresis crimen fuerit occultum, cujus exceptionis quoad haeresim externam occultam nulla videtur rationabilis causa, nisi forte circa eos delinquentes qui ad loca Vicariis Apostolicis subjecta, ad absolutionem obtinendam in fraudem reservationis, transirent. R. Responsum ad quaesita atque difficultates continetur in ipso num. 15 facultatum, ubi in fine habetur : et hos in foro conscientiae tantum.

Circa quam clausulam die 26 sept. 1696 fuit dictum a S. C. ea verba : *et hos in foro conscientiae* comprehendere omnes in prima facultatis parte nominatos. Manifestum ergo est in ista facultate sermonem non esse de absolutione *in foro fori* seu in foro judiciali, sed de absolutione in foro conscientiae, adeoque harum facultatum vigorem exerceri praecise

et taxative super haeresi externa occulta seu non deducta ad forum externum judiciale.

E contra Episcopi et Inquisitores non possunt absolvere haereticum nisi judicialiter in ipsorum foro exteriori comparentem, et ibi suum crimen revertentem. Absolutus autem sic in foro exteriori potest deinde absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae absolutione sacramenti. Absolutio data vigore facultatum de quibus loquimur *pro foro conscientiae tantum* immunes non reddit sic absolutos a poenis fori exterioris. Quapropter si velint esse tuti in foro exteriori debent sponte comparere in tribunali S. Officii vel Ordinarii, et denuo abjurare; alias si denunciabuntur, Inquisitores vel Ordinarii in eos animadvertere possunt[1].

140. Formula in absolutione adhibenda. — In casu reconciliationis publicae ritus peragendus atque absolutio impertienda juxta formulam absolutam S. Officii vel juxta formulam a Pontificali Romano praescriptam pro haereticis et schismaticis reconciliandis. Missionarii qui gaudent facultate absolvendi in foro conscientiae tantum, utentur forma communi in absolutione sacramentali.

Pro Neophytis Thibetanis[2] qui post publicam apostasiam a fide ad Ecclesiae gremium

1. Col., t. I, p. 445, n° 771.
2. Col., t. I, p. 330, n° 533.

redire cupiebant, praecepit S. C. a Prop. Fide ut praevia abjuratione coram Christi fidelibus absolvantur ab excommunicatione in forma Ecclesiae consueta quae in *Rituali Romano* tit. III, cap. III descripta est. Animadvertimus autem in praesenti casu sermonem esse de publicis apostatis, et ideo necesse esse ut tale scandalum coram fidelibus publice reparetur. Si agitur de heterodoxo veram fidem amplectenti, sufficit ut in sede confessionali adhibeatur forma consueta absolutionis quae legitur in Rituali Romano.

141. Professio fidei. — Priusquam detur absolutio a censuris, recipitur abjuratio seu fidei professio. In litteris S. C. S. Officii proponitur regula quam dat Albizi in suo opere his verbis : Instructi si minores sint quatuordecim annorum, sola professione fidei facta, reconciliantur Ecclesiae. Si vero sint majores annorum quatuordecim, sed minores viginti quinque admittuntur ad reconciliationem cum abjuratione de formali [1]. Nihilominus quoad abjurationem nulla est differentia inter majorem et minorem viginti quinque annorum, sed utrisque aequaliter imponitur. Quidquid sit de differentia theoretica inter abjurationem et professionem, sufficit ut neoconversus professionem fidei emittat, cum in professione

1. *Op. cit.*, t. II, p. 157, n° 1566.

implicite respuatur quidquid errorem sapiat.

142. In Collectanea reperitur triplex professio fidei ab haereticis et schismaticis orientalibus in sinum Ecclesiae redeuntibus emittenda. Prima pro Graecis praescripta fuit juxta formulam a Summo Pontifice Gregorio XIII praescriptam cum additione decretorum Vaticani concilii, secunda lata fuit pro Orientalibus juxta formam a Summo Pontifice Urbano VIII indicatam cum praememorata additione; denique habetur alia formula brevior pro haereticis et schismaticis orientalibus a S. C. S. Officii an. 1890 adprobata. Coram sacerdote superpelliceo et stola violacei coloris induto genuflectit neoconversus qui codicem Evangelii dextra manu tangens, professionem fidei emittit.

143. Quo ordine fit haec reconciliatio? Proposito dubio circa professionem fidei ac absolutionem haereticorum dum convertuntur, E^mi^ D. D. decreverunt dandam esse instructionem prout sequitur :

In conversione haereticorum requirendum est primum de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peracta, adhuc probabile dubium de validitate supersit, tunc sub con-

ditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus :

1. Si Baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abjuratio nec absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis.

2. Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit :

a) Abjuratio seu fidei professio;

b) Baptismus conditionatus;

c) Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.

3. Quando denique validus judicatus fuerit Baptismus, sola recipitur abjuratio seu fidei professio quam absolutio ac censuris sequitur. (Notandum vero abjurationem seu professionem fidei aliam esse ab ea quae habetur in Bulla Pii IV. Nam a Suprema S. C. S. Officii praescripta fuit illa quae adnectitur, pro conversione haereticorum. Si tamen nonnunquam ejusmodi neoconversus valde desideret ut ritus in ejus Baptismo olim omissi, hac occasione suppleantur, sacerdos huic pio ejus voto morem gerere utique liberum habet [1]...)

144. Aliqua decreta conciliationem haereticorum spectantia.

S. C. S. Officii, 13 jan. 1869. — Quum oc-

1. Col., t. I, p. 642, n° 1178.

casione conversionis ad fidem catholicam quorumdam Bulgarorum, ex iis quae ad rem relata fuerunt a R^mo^ Vic. Ap. Patriarchali Constantinop., nonnulla dubia exorta fuerint quoad modum eosdem conciliandi, ac fidei professionis formulam ab ipsis emittendam, S. Congregationi S. Officii haec quae sequuntur quaestionum capita enodanda proposita fuerint, nempe.

1. Utrum schismatici rudes et inculti, emissa fidei professione, recipere debeant absolutionem simplicem vel conditionalem?

2. In quanam formula danda est absolutio?

3. In quanam lingua absolvere debeant sacerdotes bulgari?

4. Si praedicti schismatici bulgari ad participationem sacramentorum jam admissi fuerint, omissis fidei professione et etiam absolutione a censuris, debeantne emittere professionem fidei et absolutionem recipere, priusquam de novo ad Sacramenta admittantur?

5. Expeditne ut approbetur professio secundum formulam ab episcopo Chio datam?

E^mi^ ac R^mi^ D. D. decreverunt ut infra. Nempe:

Ad I: In hypothesi de schismaticis orientalibus sive bulgaris sive aliis etiam idiotis reconciliandis ab Ecclesia occidentali, absolutionem eisdem impertiendam modo absoluto juxta formulam absolutionis S. Officii. In hypothesi vero de praedictis orientalibus reconciliandis juxta

liturgiam orientalem supplicandum SS^mo D.N. ut pro nunc nihil innovetur, atque ut valeat absolutio a censuris implicite et indirecte data quae subintelligi debeat in ipso ritu reconciliationis.

Ad 2. In casu Bulgarorum vel aliorum Slavorum qui reconciliantur a S. C. S. Officii vel ab aliquo ritus latini specialiter deputato, ritum peragendum atque absolutionem impertiendam juxta eam formulam quae adhiberi solet ab eadem S. C. S. Officii, vel juxta formulam a Pontificali Romano praescriptam pro haereticis et schismaticis reconciliandis.

Ad 3. Provisum in 1.

Ad 4. Bulgaros, de quibus in casu, jam in communionem Ecclesiae receptos non esse cogendos ad fidei professionem, neque subjiciendos ritui reconciliationis antequam iterum ad Sacramentorum perceptionem admittantur.

Ad 5. Tradendum esse symbolum Constantinopolitanum pure et simpliciter, prout legitur in formula professionis fidei Urbani VIII, nonnullis additis juxta mentem, ut infra idque pro rudibus et idiotis dumtaxat, firmis formulis Gregorii XIII et Urbani VIII pro doctis et instructis personis [1].

S. C. S. Officii 21 julii 1880. — Vic. Ap. Bengal. — 1. An tuto admitti possit ad fidei catholicae professionem puella decem annorum

1. Col., t. II, p. 19, n° 1341.

in monasterio degens, ejusdem patre haeretico invito?

... 4. An sine mora admittendae sint ad fidei catholicae professionem et sacramentorum susceptionem puellae in praesenti bene dispositae; vel earum admissio differenda erit usque ad matrimonium cum catholico viro, propter timorem perversionis?

R. Ad 1. Curet prius Vicarius Ap. totis viribus consensum patris puellae obtinere : si consensus non obtineatur, perpendat serio incommoda quae ex talis puellae admissione in Ecclesiam provenire praevideantur tum quoad periculum proximum perversionis ejusdem puellae, tum quoad grave damnum scholae ac missionis catholicae; et quatenus nulla, aut spernenda incommoda praevideantur, eamdem admittat sine mora : quatenus vero gravia praevideantur incommoda futura, ejusdem admissionem ad formalem et publicam professionem fidei catholicae differat, nisi periculum mortis immineat; et interim curet eam hortari ut in bono proposito perseveret, atque Deum precetur ut obstacula omnia auferre dignetur; simulque curet ut ipsa in monasterio manere pergat, et tali modo suam educationem catholicam compleat et perficiat.

Ad 4. Negative, nisi fundata affulgeat spes catholicae earum educationis.

Aliis verbis, curandum est ut perversionis periculum sit remotum.

Puellae bene dispositae tuto admitti possunt ad fidei catholicae professionem, quamvis parentes catholici non sint, sed indifferentes, hoc est increduli.

In hunc sensum respondit S. C. S. Officii et addidit : « et curent ut parentes stent promissis[1] ».

145. S. C. de Prop. Fide. — C. G. 1ª junii 1885.

2. Missionarius Apostolicus in Oriente vigore suarum facultatum potestne reconciliare cum Ecclesia catholica illos qui in haeresi nati fuerunt ?...

3. Praedicti schismatici possintne reconciliari a Missionario Apostolico sine consensu Episcopi ritus orientalis ?

3. Praedicti schismatici possint ne reconciliari a missionario Apostolico sine consensu Episcopi ritus orientalis ?

4. Quomodo agendum cum Episcopo ritu orientalis qui neoconversos recipere recusat, vel consensum suum denegat?

R. Ad 2. Affirmative; suscipiendi tamen sunt ad orientalem ritum, non autem ad latinum absque venia S. Sedis.

Ad. 3. Affirmative; convenit vero ut per se vel per Vicarium seu Delegatum Apostolicum certiorem reddant Episcopum ad cujus dioecesim neo-conversi pertinebunt.

1. Col., t. II, p. 136, nº 1537.

Ad 4. Missionarii, supplendo defectum sacerdotum proprii ritus, juxta facultates a S. Sede impetratas vel impetrandas, fideles administrent, quin hi propterea a suo ritu ad latinum transiisse censeri possint. De re autem tota referant ad Delegatum Apostolicum[1].

N. B. In Vicariatu Apostolico Constantinop. missionariis incumbit obligatio ut Ordinarium certiorem faciant de recipiendo schismatico in communionem S. Sedis : quae quidem regula gravi fundamento non caret, cum optandum sit ut rectores spirituales testimonium conversionis authenticum auctoritati civili pro opportunitate praebere possint. Praeterea dubium est utrum poenitens excommunicationem incurrerit per haeresim professam et ideo sacerdos recurrere debet ad Vicarium Apostolicum ut facultate absolvendi *saltem ad cautelam* gaudere queat.

1. Col., t. II, p. 206, n° 1633.

DE MATRIMONIO

RELATIONES INTER CATHOLICOS RITUS LATINI ET FIDELES RITUS ORIENTALIS.

146. Vix dicendum aliquam difficultatem oriri non posse si uterque sponsus eumdem ritum graecum vel latinum sequantur : tunc nuptiae a parocho proprii ritus benedicuntur.

UTERQUE SPONSUS AD DIVERSUM RITUM PERTINENT.

147. Impossibile est ut haec quaestio in unoquoque casu responsione generali dirimatur, quum a S. Congreg. nulla edita fuerit norma universalis vi cujus fideles diverso ritui addicti benedictionem nuptialem secundum ritum sponsi vel sponsae suscipere debeant. In Constitutione *Orientalium dignitas* nulla particularis praxis intimatur : suadet tantummodo integrum esse mulieri ut ad ritum viri

ineundo vel durante matrimonio transeat. Quocirca opportunius est ut hic tradatur praxis quae in usu est apud communitates orientalis ritus ac deinde enuncietur conclusio generalis.

148. Italo-Graeci. Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahendum est; inter maritum graecum vero et mulierem latinam potest contrahi vel graece coram parocho graeco vel latine coram latino, ubicumque maritus graecus voluerit. Ejus autem loci ac ritus parochus assistere debet, ubi et quo ritu matrimonium contrahitur.

149. Rutheni. — Matrimonium benedicit secundum antiquissimam in his dioecesibus vigentem consuetudinem parochus sponsae. Idem quoque in matrimoniis mixti ritus, ubi sponsorum unus est latini et alter ritus rutheni servandum est et talia matrimonia a parocho sponsae benedicenda sunt, nisi ambo sponsi contrarium petierint[1].

150. Syri. — Si sponsi catholici ex diversis sunt ritibus, quidquid pertinet ad eorum sponsalia et nuptias, v.gr. conditiones in sponsalibus positae, benedictio nonnisi sacerdoti-

1. *Col. Lac.*, t. II, p. 563 sqq.

bus ritus viri competit, idque virtute consuetudinis vigentis apud nos et omnes nationes orientales catholicas in his regionibus. Pariter dispensatio in impedimentis matrimonialibus a superiore viri petatur... Si mulier, durante matrimonio, ritum baptismi sequi velit, presbyteris ejusdem ritus competit officium parochi erga illam in viatico, communione paschali, extrema unctione, humatione, etc.[1].

151. Copti. — Si sponsi ex diversis sint ritibus catholicis, eorum sponsalium et nuptiarum benedictio nonnisi sacerdoti ritus viri competit. Si mulier nostri ritus in nostro ritu permaneat, marito ad alterum ritum pertinente, competit presbyteris sui ritus officium parochi erga illam exercere in rebus sequentibus, scilicet visitatione pastorali, communione paschali, viatico, exsequiis persolvendis et humatione[2].

152. Conclusio. — Modo vidimus in catholicis Ecclesiis orientalibus benedictionem nuptialem secundum sponsi ritum fieri debere. Imo juxta Sciarfensem synodum, sic fert usus universaliter in Oriente approbatus. Huic testimonio plane concordat praxis Ecclesiarum orientalium; sic in casu sponsi ad ritum armenum pertinentis, matrimonium coram pa-

1. *Syn. Sciarf.*, p. 55.
2. *Syn. Alex.*, p. 60.

rocho armeno contrahitur. Idipsum servatur apud Graecos Melchitas. Profecto scimus apud Ruthenos matrimonium a parocho sponsae benedici; nobis autem aperte constat ritum ruthenum cum ritu latino magnam affinitatem habere. Ceterum communitas ruthena et communitas italo-graeca inter Ecclesias omnimodo orientales censeri nequeunt. Ergo sub formam conclusionis recte dicitur in Oriente parocho sponsi competere matrimonii benedictionem.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII IN CASU ADULTERII.

153. CATHOLICUS ORIENTALIS POTESTNE DIMITTERE SUAM MULIEREM CATHOLICAM VEL SCHISMATICAM IN CASU ADULTERII? — In pluribus Orientis Ecclesiis adhuc viget inveteratus usus quo conjugium christianum ob adulterium impune solvitur. Attamen nunquam destitit Apostolica Sedes, quoties sibi obtulit occasio ab inculcanda atque exigenda matrimonii insolubilitatis quae tanti momenti est observatione. Ut suam praxim, seu verius abusum cohonestarent, graeco-orientalis Ecclesiae scriptores confugerunt ad textus Matth., v, 32; XIX, 9, ubi clausula apponitur exceptionis : « excepta fornicationis causa... nisi ob fornicationem » et etiam ad

testimonia quae Graeci Patres hac super re exhibent.

E contra catholici uno ore affirmant Scripturam et Patres in eamdem doctrinam conspirasse ad omnimodam insolubilitatem matrimonii asserendam.

154. Juxta Scripturam Sacram. — En textus ex Mattheo desumpti quorum diversa interpretatio praebetur ab auctoribus catholicis et scriptoribus schismaticis : « Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari et qui dimissam duxerit, adulterat (Matth., v, 32). Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur (Matth., xix, 9). »

Graeci interpretes verba Matthaei in sensu solubilitatis explicant, quasi nempe vóluerit Christus Salvator noster, adulterii flagitio interveniente, per hanc clausulam « excepta fornicationis causa » tribuere facultatem non modo dimittendi uxorem fornicariam, verum etiam et alteram ducendi, ea dimissa. Interpretes autem catholici in allegatis Matthaei verbis non aliam datam a Christo facultatem agnoscunt praeter conjugis adulterae dimissionem quoad torum habitationemque, conjugii vinculo, quamdiu illa vixerit, perseverante. Haec clausula « nisi ob fornicationem », incidentem

constituit quae ad praecedentia verba « dimiserit uxorem » refertur, non autem ad sequentia « et aliam duxerit » ita ut sequenti modo intelligi debeat : « quicumque dimiserit uxorem suam (quod quidem non licet nisi ob fornicationem) et aliam duxerit (prima propter adulterium vel aliam causam dimissa), reus est adulterii [1].

Corruit ergo argumentum Graecorum, cum sensus verborum Christi ullomodo esse nequeat iste : « moechatur qui alia de causa quam ob fornicationem uxorem suam dimittit et aliam ducit; item moechatur qui dimissam alia de causa quam ob fornicationem eam ducit ». Addimus cum Perrone hanc sententiam Graecorum latissimam pandere viam adulteriis et connubiorum facillimis dissolutionibus. Quos enim conjugalis initi foederis poeniteret, novique facillimi amores implicarent, illi praesentissimum remedium haberent; etenim sibi adulterium permitterent quo invisum conjugium disrumpere liceret.

155. Juxta contextum. — Pharisaei Chri-

1. Vide Tanquerey, *Synopsis theol. dogmat. spec.*, Letouzey, 1903, t. II, p. 667. — Quod analogia illustrari potest, dicit auctor. Supponatur lex quaedam sic concipi : « Quicumque filium suum percusserit, nisi ob grave delictum, eumque occiderit, punietur » ; sane propositio incidens in hoc casu, priorem tantum sententiae partem afficit, non posteriorem ; neque licebit concludere patrem posse, ob gravia delicta, filium occidere. (*Op. cit.*, *loc. cit.*)

stum interrogabant de sola dimissione : quum enim inter se disputarent utrum liceret dimittere uxorem propter quamlibet causam, vel propter adulterium tantum, Christus respondet ob solam fornicationem uxorem dimitti posse (in perpetuum) et quia abolere volebat divortium a vinculo addit *non licere, etiam in hoc casu, dimissam uxorem ducere sub poena adulterii.*

156. Juxta loca parallela. — Unusquisque praeterea id videt qui attendat ad loca parallela Marc., xi, 11, et Luc., xvi, 18, ubi quavis exclusa exceptione, absolute Christus adulterii reum pronunciat qui, dimissa uxore sua, alteram duxerit, et eam, quae, dimisso viro, alteri nupserit; attendat etiam ad Paulum Apostolum, *Rom.*, vii, 2 seqq.; *I Cor.*, vii, 10, 11 et 39. Exponentem de matrimonii christiani perpetua indissolubilitate doctrinam.

157. Juxta Patres. — Neque alia fuit in universum Patrum et Ecclesiae doctrina. Tria tempora in historia hujus dogmatis distinguere licet.

a) *Certum est auctores quatuor prioribus saeculis* unanimiter docere matrimonium christianum esse indissolubile etiam in casu adulterii.

1. Quoad Patres latinos seu occidentales res est certa. Quorum singula verba referre hic

inutile putamus ; satis erit S. Augustini grave testimonium producere : « Dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis [1]. »

Sanctus Hieronymus in ep. ad Amandum scribit : « Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. »

In more igitur positum erat in Ecclesia occidentali, neque dimissum ab uxore neque dimissam a marito etiam ex fornicationis causa alteri conjungi posse.

2. Verum Graecorum Patrum testimonia non minus peremptoria sunt. Ac primae ipsius nascentis Ecclesiae sensum patefecit vir apostolicus Hermas in libro Pastoris : « Si permanserit in vitio suo mulier ? Et dicit (Angelus) : Dimittat illam vir. Et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam et aliam duxerit, et ipse moechatur [2]. »

Cui sententiae congruunt quae in canonibus *Apostolici* nuncupatis constituta sunt. In canone XLVIII statuitur : « Si quis laicus uxore sua ejecta, aliam acceperit, vel ab alio dimis-

1. *P. L.*, t. XL, col. 473.
2. Funk, *Op. Patr. Ap.*, t. I, p. 394.

sam, segregetur[1]. » S. Basilius, S. Gregorius Nazianz., S. Joannes Chrysostomus, aliique passim, dum facultatem tribuunt fidelibus conjugem dimittendi adulteram, unanimi consensione negant eos posse, adultera dimissa, eaque vivente, aliam ducere uxorem.

Forsan aliqua verba laborant quadam difficultate interpretationis, sed animadvertendum est hanc vocem « solutio matrimonii » pro separatione quoad torum saepe adhiberi. Ceterum nil mirum est si duo vel tres auctores solutionem propter adulterium admittere videntur, cum difficilem quaestionem agerent nondum temporibus expeditam, nec ullo adhuc Ecclesiae universalis judicio explanatam. Praeterea, opinio singularis contra doctrinam communem et majorum traditionem nunquam praevalere poterit.

158. *b*) A QUARTO SAECULO AD SAECULUM DECIMUM TERTIUM.

1. Apud Ecclesiam latinam quae imperatoribus fortiter restitit, firmitas matrimonialis vinculi feliciter servata est, ita ut nunquam ausi fuerint fideles, dimissa ob adulterii flagitium uxore, novas celebrare nuptias, illa vivente. Quae agendi ratio eo pluris facienda est, quod civiles leges divortium permitterent. In Gallia quidem, in Hibernia et Anglia, quaedam fue-

1. PITRA, *Jur. eccl. Graec. histor...*, t. I, p. 24.

runt Ritualia vel Poenitentiaria quae aliquas divortii causas, ut adulterium, etc., sed notandum est quod non pauci abusus quandoque in nonnullis provinciis irrepserunt circa conjugiorum dissolutionem, qui aperte pugnant cum generali regula ab Ecclesia stabilita.

2. In Ecclesia Graeca perniciosa praxis de dirimendis conjugiis non aliunde arcessenda est quam ex imperatorum legibus quae paulatim inter canonicas sanctiones introductae fuerunt, perinde ac si profanae leges a Patribus reprobatae vim ecclesiasticae et canonicae auctoritatis haberent.

159. *c*) Tandem a tempore Gratiani. — Nullae variationes inveniri possunt in Ecclesia latina.

In Oriente ex eo tempore factum est ut furtim perversa illa consuetudo dirimendi conjugia in casu adulterii, irrepere coeperit, dissimulantibus ignavis Episcopis laicae potestati nimis addictis; postea vero etiam ingravescens malum probantibus, donec longe lateque diffusum alias egerit radices, nulla fere humana vi convellendas.

DE ADULTERIO ET VINCULO MATRIMONII JUXTA CONCILIUM TRIDENTINUM.

160. Patribus Concilii proposita fuit sententia quae ut fidei contrariam damnabat thesim

a Graecis propugnatam de solubilitate matrimonii ob adulterium. Aliqui tamen, Graecos schismaticos directe attingere nolentes, aliud schema finxerunt quo doctrina Ecclesiae catholicae de insolubilitate matrimonii in casu adulterii legitime vindicatur contra haereticos. Et ideo novam formulam adhibuerunt quae in tuto ponit Ecclesiae doctrinam, quin haec tanquam de fide proponatur; nam, ut dicit Tanquerey, aliud est definire Ecclesiam non errare cum docet, aliud dicere id quod docet esse de fide : Ecclesia enim dicere potest veritates quae sunt certae, licet non sint de fide.

Propterea, postulantibus Venetis oratoribus, canon prius confectus reformatus est qualis nunc exstat, ne novum obstaculum Graecorum unioni apponeretur, vel ab unitate Ecclesiae deficerent Graeci uniti qui consuetudinem habebant matrimonium dissolvendi in casu adulterii. En canon : « Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; moecharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quae dimisso adultero, alii nupserit. »

161. Sensus canonis. — Prudens œconomia

qua usum est Tridentinum nec Graecis favet, nec evincit agi in casu nostro de re tantum disciplinari et libera quae nempe subsit Ecclesiae libertati. Apud Graecos, ut supra vidimus, post consummationem schismatis invaluerat sententia de dissolutione conjugii ob adulterium, ac propterea consuetudo illud dirimendi quin ulterius quaererent. Apud Latinos, praesertim vero in Ecclesia Romana, contraria sententia et praxis constanter viguit, quin tamen hac de causa unquam Graeci Latinis molestiam creaverint.

Cum vero insurrexerint Protestantes et Ecclesiam ob hanc doctrinam erroris accusarint, concilium Tridentinum adversus eos *directe* canonem edixit, quo ipsorum audacia frangeretur et *indirecte* ut erronea et prava traduceretur sententia et praxis Graecorum. Exinde patet Ecclesiam, quamvis *directe* anathemate Graecos non perculerit, nulla tamen ratione aut cohonestare aut tolerare praxim Graecorum tanquam legitimam, imo prorsus ut ream ac pravam traducere, utpote quae opponatur doctrinae evangelicae et apostolicae quae hanc solutionem damnat. Hinc corruit quod ab adversariis aliquando statuitur, scilicet nil a Christo et a traditione esse constitutum, sed agi de re mere disciplinari.

162. Ceterum Clemens VIII, anno 1595, declaravit in Instructione quam pro Italo-

Graecis dedit nullo pacto sacerdotibus integrum esse ut permitterent dissolvi conjugia, eamque, si qua tentatur dissolutio, tanquam nullam ac irritam haberi, « matrimonia inter Graecos conjuges dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullomodo permittent[1] ».

Insuper in formula ab Urbano Graecis proposita aperte quisquis profiteri tenetur : « Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter conjuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse[2]. » Hancque formulam Benedictus XIV proposuit edendam profitendamque in litteris ad Simonem Evodium Ecclesiae Antiochenae Patriarchae.

In Instructione ad Archiep. et Ep. Graeco-Rumenos Provinciae Fogarasiens. et Albae Juliae optat S. C. de Prop. Fide ut inveteratus abusus dissociandi conjugium propter adulterium penitus convellatur. Eo vel magis quod cum actus unionis istiusmodi dioeceseon cum Ecclesia catholica feliciter executioni mandatus est, adposita fuerit expressa conditio quod Graeci orientales pollicerentur non modo profiteri cum Apostolica Sede quatuor articulos in quibus ab ea dissidebant, verum etiam ea omnino admittere, profiteri et credere

1. Col. Lac., t. II, 449.
2. Jur. Pontif. de Prop. F., pars I[a], t. I, p. 227.

quae S. Mater Ecclesia Romana profitetur, admittit et credit. Jam vero nullum dubium subest Romanam Ecclesiam credere et profiteri articulum de absoluta, etiam in casu adulterii, conjugii christiani insolubilitate[1].

DE MATRIMONIO CONTRACTO SUB CONDITIONE DIVORTII IN CASU ADULTERII.

163. Alia ponitur quaestio : Connubium estne validum si unus contrahentium init matrimonium ea tamen conditione ut ex adulterio jus divortii oriatur? R. Quamvis certum sit conditionem contrariam perpetuitati et indissolubilitati vinculi conjugalis ipsum matrimonium omnino nullum atque irritum reddere; tamen ad hoc oportet ut talis conditio aliquo modo a contrahentibus in pactum fuerit deducta.

Benedictus XIV ita ad rem docuit : « Credendum est eos (haereticos) generali voluntate contrahere voluisse matrimonium validum juxta Christi legem ideoque etiam adulterii causa non dissolvendum... Tametsi autem dubitandum non sit quin validum matrimonium contrahi possit cum errore mere concomitante circa ejus indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium juxta institutionem Christi, et generalis

1. Col., t. I, p. 612, n° 1152.

illa voluntas privatum errorem quodammodo absorbet; attamen ubi adhibetur formula cum explicita vel implicita illa conditione, jam fieri nequit ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi juxta institutionem Christi[1]. »

Sequens dubium ab Ep. Bosnen. propositum fuit: « An sit validum matrimonium contractum inter catholicum et schismaticum haereticum cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium. R. Si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta, matrimonia sunt nulla; sin aliter, sunt valida. (S. C. S. Officii, 2 decembris 1680.)

« Quo tempore nos a secretis eramus Congregationis Concilii, inquit Benedictus XIV, ex parte cujusdam Graeci catholici propositum fuit dubium an ipsi permittendum esset ut secundam uxorem duceret, adhuc prima vivente quam repudiaverat ex causa adulterii in judicio manifeste probati... Re mature discussa, responsum fuit, Graecum illum, vivente prima uxore quantumvis adultera, ad alias nuptias transire non posse[2]. »

DE MATRIMONIIS MIXTIS

164. Conjugia mixta ea dicuntur quae inter catholicum et acatholicam aut e con-

1. Col., t. II, p. 99, n° 1465.
2. *De Syn. Dioec.*, t. XI, p. 644.

verso inter catholicam et acatholicum celebrantur.

Ratum jam penes omnes est eiusmodi conjugia illicita esse adeo ut sine Summi Pontificis dispensatione iniri legitime nequeant. Facili negotio perspicitur cur connubia catholicorum cum heterodoxis antiquissimi canones quemadmodum recentiores Conciliorum ac Summorum Pontificum sanctiones omnino reprobarunt ac reprobant, damnarunt ac damnant. Reprobanda sunt sive ob vetitam quam secumferunt in divinis rebus Communionem et exinde derivans scandalum, sive ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, sive ob pravam sobolis institutionem. Accedit etiam hujusmodi conditionibus facile promoveri funestissimum in religione, uti vocant indifferentismum. Sed alia etiam perniciosa consectaria ex huiusmodi conjunctionibus dimanant, cum catholicos inter et acatholicos vix ac ne vix quidem ea inveniatur animorum concordia, quae inter conjuges necessaria prorsus est. « Quomodo enim, ait Sanctus Ambrosius, potest congruere charitas ubi discrepat fides? »

165. Nihilominus justis quandoque et gravibus de causis hujusmodi matrimonia licita fieri possunt. Ad quem effectum tria potissimum requiruntur : et *primo quidem* ut dispensatio impetretur ab Apostolica Sede ad quam unice spectat facultas dispensandi super

mixtae religionis impedimento; *secundo* ut mixta conjugia sine solemnitate celebrari debeant; et *tertio* ut in tuto positae omnino sint conditiones, quae in iisdem connubiis jure naturali ac divino requiruntur, nempe ut exclusum sit a parte fideli quodlibet perversionis periculum, et universa prolis utriusque sexus in sancta religione educetur, et suscipiatur a parte catholica onus curandi ut alteram acatholicam partem ad veram fidem unitatemque catholicam perducat. Has autem ultimas conditiones pro conjugibus ac prole jus naturale ac divinum cum postulet, nulla unquam humana auctoritate mixtae nuptiae sine ipsis permitti possunt.

Superior autem ecclesiasticus moralem certitudinem habere debet de cautionum sinceritate ; modum tamen quo haec certitudo moralis obtineatur, S. Sedes prudentiae Ordinarii delegati relinquere solet. Juxta quaedam statuta dioecesana exigitur a parte haeretica promissio in archiviis servanda.

166. Jam vero si qua mulier catholica viro schismatico nubere aut vir catholicus mulierem schismaticam ducere, haud praemissis hisce conditionibus obstinate velit, omni aptiori atque opportuniori, quo poterit, modo a sacrilego hujusmodi proposito per parochum catholicum deterreri debet, atque instrui de aeternae salutis discrimine, cui se suamque

prolem committeret. Neque ab hujusmodi faciendis admonitionibus et instructionibus propterea se excusare posset parochus, quia pars catholica in bona fide versatur, et quia cavendum est ne peccatum materiale fiat formale. In gravissimo enim scelere permittendi educationem prolis in schismate, bona fides in parte catholica esse non potest. Neque sine scandalo populus fidelis conspiceret eos ad sacramentorum participationem admitti qui tam immane facinus patrare praesumunt.

Parochus igitur nihil intentatum relinquat quominus catholici viri ac mulieres a mixtis ineundis nuptiis se abstineant, vel saltem ipsas nunquam contrahant, nisi impetrata Apostolica dispensatione, et praemissis necessariis cautionibus. Eos vero qui secus fecerint, in omni patientia et doctrina, quoties opportuna sese offert occasio, et praesertim in administrando Sacramento Poenitentiae, admoneat et instruat tum de peccato commisso, tum vero etiam de districta, qua tenentur, obligatione universam prolem, quoad poterunt, catholice instituendi, quin contrariis promissionibus, utpote injustis, quantumvis jurejurando factis, obligentur. Quod si docibiles facti, et vere poenitentes revertantur ad cor, admitti utique poterunt ad Sacramentorum participationem[1].

1. Col., t. I, p. 637, n° 1169; t. II, p. 232, n° 1696.

INVESTIGATIO DE VALORE BAPTISMI AB HAERETICO RECEPTI.

167. Si quis catholicus cum muliere haeretica matrimonium contrahere velit, primo ac praecipue investiganda erit validitas baptismatis haereticae parti collati. Ex hac investigatione nonnulli *valide*, aliqui invalide, plures dubie baptizati reperiri poterunt. In primo casu petitur dispensatio super impedimento mixtae religionis, sanctissima addita lege, ut quantum in ipsis est, conditionibus in jure naturali ac divino fundatis sponsi satisfaciant.

In secundo casu, qui invalide baptismum receperunt, tanquam ethnici habendi sunt, ac proinde recurrendum est ad Sanctam Sedem pro dispensatione super impedimento disparitatis cultus impetranda.

In tertio casu, si ex hac inquisitione nihil certi deduci possit et dubium prudens perseveraverit, baptismus tanquam validus in ordine ad valorem matrimonii haberi debet quod non impedit, quominus pro circumstantiis, si de conversione sic baptizati agatur, ad cautelam sub conditione baptismus iteretur.

DE CELEBRATIONE MATRIMONII MIXTI.

168. Matrimonium mixtum legitime contractum celebrari debet extra ecclesiam et absque parochiali benedictione alioque eccle-

siastico ritu. Aliquando praecipitur statutis dioecesanis ut in loco profano, verbi gr., domo parochi celebretur, exclusa sacristia. Attamen ex responso S. Officii tolerari potest ut benedicatur hujusmodi matrimonium in sacristia, aut in alio loco ecclesiae adjuncto, puta in capella remota. Imo quandoque permittit Apostolica Sedes ut adhibeatur ritus pro matrimoniis contrahendis in Rituali praescriptus.

169. Haec ultima concessio habetur in Instr. Secret. Stat. jussu Pii IX (15 nov. 1858) redacta quae continet aliqua praecepta in praesenti articulo notanda.

« In tribuendis dispensationibus, praeter enunciatas cautiones quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari ullo modo nunquam potest, adjectae quoque fuere conditiones ut haec mixta conjugia extra ecclesiam, et absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrare debeant... Jam vero quod attinet ad praedictas conditiones, de his nempe mixtis nuptiis extra ecclesiam et sine parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis rescriptis haud explicite expressae, idcirco Sanctissimus Dominus noster pro summa ac singulari sua prudentia, hanc formularum va-

rietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum, unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque... Sanctissimus Dominus noster constituit in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce conjugiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino movet hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum ipsi in posterum hujus rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis.

Quod si in aliquibus locis Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna, ac mala vitanda, prudenti eorumdum sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper, ac perdiligenter servandis cautio-

nibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda, indicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce nuptiis ineundis *tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum* exclusa tamen semper missae celebratione [1].

N. B. In Vicariatu Apostolico Constantinopolitano, mos est ut matrimonia mixtacelebrentur in ecclesia secundum formam Ritualis Romani, excluso tamen missae sacrificio. Parochus matrimonium celebraturus in ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, virum et mulierem de consensu interrogat. Mutuo consensu intellecto, sacerdos jubet eos invicem jungere dexteras dicens : « Ego conjungo vos, » deinde benedicit annulum... et caetera ut in Rituali.

Ad proclamationes quod attinet, in praedicto Vicariatu fiunt a parocho catholico, omni tamen praetermissa mentione circa religionem

1. Col., t. I, p. 637, n° 1169.

illorum qui nuptias sint contracturi. In Instructione 30 april. 1841 ad Episcopos Hungariae transmissa haec adjecta sunt : « Si aliquae circumstantiae in eadem Instr. superius recensitae in re de qua agitur intercesserint, pati ipsos (Episcopos) ulterius posse, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione circa religionem illorum qui nuptias sint contracturi, tum etiam de peractis hisce proclamationibus litterae mere testimoniales concedantur[1]. »

DE MATRIMONIIS CORAM HAERETICO MINISTRO CONTRACTIS.

170. Illicitum est ac sacrilegum se sistere coram haeretico seu schismatico ministro ante vel post contractas mixtas nuptias quoties ipse ut minister sacris addictus adsistat; et quasi parochi munere fungens : nam pars catholica ritui haeretico aut schismatico se consociaret, ex quo vetita cum omnibus haberetur cum haereticis in eorum sacris communicatio.

En tenor Instr. S.C.S. Officii (17 febr. 1864) : « Non latet quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent conjuges aut etiam debent ob finem politicum, nempe

1. Col., t. I, p. 517, n° 920.

ut habeantur civiliter honesti conjuges prolesque censeatur legitima. Tunc vero... non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistant ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto, ad actum civilem dumtaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum : « Utrum catholicus coram proprio catholico parocho cum haeretico contrahens licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur et quiquid minister haereticus in casu agit, civilis dumtaxat et politica postulatio sit et censeatur ? » per hanc S. Congregat. responsum fuit : *Affirmative.*

Verum enim vero quotiescumque minister haereticus censeatur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministerio praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico se consociaret; unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio... Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos aditurum ministrum haereticum et nulla fiat ab iisdem

sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum : tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur : parochus huic matrimonio non intererit nisi, servatis uti supponitur ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens... absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit[1].

171. N. B. In Vicariatu Constantinopolitano, in casum reservatum incidunt matrimonium aut sponsalia benedicere facientes a ministro haeretico vel schismatico.

Matrimonia mixta, coram ministro haeretico vel schismatico cujuscumque denominationis contracta, *vel potius attentata* constituunt ca-

1. Col., t. I, p.-688, n° 1247.

sum réservatum, etiam pro confessariis facultatem habentibus absolvendi a casu communicationis in divinis.

DE CLANDESTINITATE IN MATRIMONIIS MIXTIS.

172. Prout unus quisque scit, Tridentinum concilium edixerat invalidas fore nuptias quae praesente parocho et duobus testibus non celebrarentur. Sed cum idem concilium praecepisset ut tale decretum « Tametsi » publicaretur in singulis paroeciis, deficiente hac speciali promulgatione, in pluribus locis caruit effectu. Ubi autem lex vigebat, haud raro intrincatae exoriebantur difficultates de proprio parocho ad valorem requisito. Quibus malis ut mederetur, visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in jure circa formam celebrandi matrimonium. Hinc opportunitas decreti « Ne temere » cujus scopus principalis est ut clandestinis matrimoniis efficacius remedium afferatur per totum orbem catholicum.

173. En tenor hujus decreti jussu SS. D. N. Pii Papae X die 2 aug. 1907 editi.

DE SPONSALIBUS

I. Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a parti-

bus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur : et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

DE MATRIMONIO.

III. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, juxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra, n. VII et VIII ponuntur.

IV. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt.

1. A die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto

nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi.

2. Intra limites dumtaxat sui territorii : in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt.

3. Dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. Licite autem adsistunt.

1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de jure servandis.

2. Constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii.

3. Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

4. Quoad vagos, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

5. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua justa causa excuset.

VI. Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario, n. IV et V superius statutas.

VII. Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense jam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. 1. Celebrato matrimonio, parochus, vel qui ejus vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, conjugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam iniri contractus ad parochum

baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

3. Quoties matrimonium ad normam, n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum conjugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

X. Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicujus matrimonio adstiterint contra praescriptum 2[i] et 3[i] num. V, emolumenta stolae sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. 1. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

2. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis, sive baptizatis, sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

3. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur

ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per ejus transmissionem ad locorum Ordinarios : et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. J. C., proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

174. De assistentia parochi. — IV. Parochi... valide matrimonio assistunt :

« ... Dummodo invitati ac rogati et neque vi neque gravi metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. »

Nunc parochus rogatus et ultroneus testis assistere debet matrimonio ita ut suppressa sint omnia matrimonia ex inopinato facta et passiva assistentia parochi sufficere nequeat. Et ideo quotiescumque munus suum testes qualificati exercere permittuntur, debet parochus active interrogare et accipere sponsorum consensum : quod quidem ex responso 27 jul. confirmatum fuit. « An vi decreti « Ne temere », etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda ab Ordinario vel a parocho acquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus ? » R.

« Affirmative, servatis ad liceitatem quod ad reliqua, praescriptionibus et instructionibus S. Sedis. »

175. De forma servanda deficiente paroco. — VIII. Si contingat ut in aliqua regione parochus locive ordinarius aut sacerdos ab iis designatus coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum condicio a mense jam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

Porro impedimentum *regionis* esse debet, non aliquot personarum in regione.

Haberi non possit : sic haberi non potest, inquit Vermeersch, qui nimia difficultate arcessitur vel aditur.

Eaque rerum condicio perseveret. — Sufficit ut a mense minister haberi nequeat; tunc sponsi privilegio frui possunt, quamvis post brevissimum intervallum v. gr., sequenti die, parochus vel alius sacerdos sit venturus.

Si adest autem facilitas habendi sacerdotem, patet ejus copiam non abesse et ideo huic dubio : « An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit, — in quibus tamen si peteretur haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi, — ma-

trimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida? R. Negative. »

176. Aliud dubium propositum fuit: « Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo jam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum condicio de qua in art. VIII decreti? R. Negative. »

177. De matrimoniis in quae praesens lex cadat. — Hic occurrit quaestio perpendenda circa subjectum legis, scilicet ad quos lex extenditur.

Legis extensio ita declaratur, n. XI: « Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se sponsalia vel matrimonia ineant.

Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad ca-

tholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam. »

178. *a*) Diximus « omnes in catholica Ecclesia baptizati ». Praesenti legi subduntur sponsi qui ipso baptismo ad Ecclesiam catholicam pertinere demonstrantur. Tales sunt qui ex parentum voluntate ad Ecclesiae catholicae fontes deferuntur aut a laico in necessitatis casu, consentientibus parentibus, ut catholici baptizantur, etiamsi parentes essent acatholici; tales e contra non erunt quos minister haereticus vel schismaticus ex voluntate parentum sive hi acatholici fuerint, sive etiam catholici, baptizavit.

179. *b*) Catholici praeterea sunt omnes ad catholicam Ecclesiam conversi ex haeresi vel schismate et jam baptizati; quod valet, etiamsi postea a fide defecerint, quia non decet ut ista defectio eis prosit.

Hoc certum est quoad catholicos ritus latini, sed quid de catholicis ritus orientalis? (v. gr., armeni, syri, graeci).

180. Juxta immemorabilem consuetudinem et plurimas decisiones S. C. de Prop. Fide, Orientales sunt immunes ab omni lege disciplinari nisi expressa declaratione comprehendantur. Porro S. Cong. Concilii huic dubio proposito: « An decreto *Ne temere* astringan-

tur etiam catholici ritus orientalis? » respondendum censuit : « Negative. » (1 febr. 1908.)

Et ideo catholici ritus orientalis a praesenti decreto declarati sunt exempti.

Opportunitas autem eosdem huic legi astringendi est judicio S. C. de Prop. Fide commissa. « Utrum ad eosdem decretum extendere expediat? R. Ad S. Congregationem de Prop. Fide. »

181. Alia autem oriebatur difficultas de valore matrimonii quod, neglecta forma Tridentina, fieret inter catholicum orientalem exemptum et catholicum ritus latini : utrum scilicet pars a forma Tridentina immunis cum altera suam communicaret exemptionem? Ex responso 28 mart. 1908 nunc invalida sunt matrimonia contracta a catholico ritus latini cum catholica ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta. Etenim huic dubio : « Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta? » Sacra Congr. Concil. respondit : « Negative. »

182. Pariter decreto subjiciuntur omnes praefati catholici (latini ritus) quando cum catholicis contrahunt etiam post obtentam dispensationem super impedimento mixtae religionis. Ita reformatur disciplina qua pars

a forma Tridenti immunis suam cum altera parte immunitatem communicaret. Sub nomine autem « acatholici » comprehenduntur omnes haeretici, sive orientales, sive occidentales.

Juxta aliquos commentatores hujus decreti *Ne temere*, hujusmodi matrimonia mixta a catholico latino cum orientali acatholico praeter formam Tridenti contracta, valida manebant uti antea. Nunc autem certum est ubique terrarum catholicos latini ritus huic decreto teneri quoties cum acatholicis matrimonium contrahunt; proindeque matrimonia mixta inter catholicum latinum et acatholicum orientalem, nulla in posterum esse, praeter formam Tridenti contracta. « An in articulo XI, n° 2, ejusdem decreti sub nomine *acatholicorum* comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium? »

R. « Affirmative. »

183. Exceptio autem admittitur pro regno Germanico ubi (virtute Const. *Provida* 18 jan. 1906) matrimonia mixta legi clandestinitati quoad validitatem non subjacent. Imo beneficium non prodest nisi natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus. Penitus abrogata est declaratio Benedictina quoad alias regiones.

« Num exceptio per Const. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere

localis aut etiam personalis? R. Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus. » (28 mart. 1908.)

184. Alia exceptio pro regno Hungariae recenti decreto promulgata fuit, quae localis est. « I. Num responsum S. Congregationis Concilii diei 28 martii 1908 ad II ita sit intelligendum ut in quovis casu ambo conjuges debeant esse nati in Germania seu respective in regno Hungariae?

II. An post extensionem constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum reciproca relatio habetur ita ut duo conjuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariae? et vice versa nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoque modo in Germania?

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae? »

R. Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative (18 jun. 1909).

DE DISPARITATE CULTUS.

185. Ob disparitatem cultus irritum est matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam etiam catechumenam. Ita ex jure non scripto, id est ex consuetudine vim legis habente. « Omnes sentiunt, inquit Benedictus XIV, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum canonum, sed generali Ecclesiae more qui pluribus abhinc annis viget ac vim legis obtinet. » (Const. *Salutari nobis*.)

Per partem baptizatam intelligitur quilibet christianus, sive catholicus, sive haereticus vel schismaticus; sub hac voce « per partem non baptizatam » comprehenduntur Judaei, ethnici, vel mahumetani, ii scilicet qui baptismum nunquam receperunt. Ecclesia minime lubens dispensat ab impedimento disparitatis cultus, ob grave periculum cui plerumque tum pars fidelis, tum liberi nascituri exponuntur fidei christianae amittendae vel negligendae.

CONDITIONES REQUISITAE AB OBTINENDAM DISPENSATIONEM.

186. Attamen cum hujusmodi periculum

1. Cfr. Col., t. I, p. 277, n° 432; p. 407, n° 684; t. II, p. 131, n° 1517.

quandoque removeri possit, Ecclesia gravibus de causis super hoc impedimento dispensat in locis tantum ubi sunt plures infideles quam christiani et quatenus absque contumelia Creatoris fieri possit. Porro contumelia Creatoris vitanda est in respectu : 1° ad fidelem contrahentem; 2° ad prolem nascituram; 3° ad infidelem contrahentem ita ut pro parte baptizata absit perversionis periculum, pro liberis nascituris promoveatur educatio in vera religione; deinde pro parte non christiana servetur aliqua spes conversionis. Ergo ubi in impedimento disparitatis cultus dispensatur, requiruntur a nubentibus eaedem cautiones quae in matrimonio cum parte haeretica exiguntur[1].

DE IPSA FACULTATE DISPENSANDI.

187. Circa facultatem dispensandi super impedimento disparitatis cultus expedit ut aliqua puncta ex Instr. S. C. S. Officii 12 jan. 1769 deprompta hic notemus.

I. Circa loca in quibus eadem dispensandi facultate uti debet, non dubium est quod in locis ubi plures sunt infideles quam christiani, jure optimo dispensatio concedi possit; animadvertendum tamen est quod, cum missionarius habeat etiam facultatem dispensandi

1. Col., t. I, p. 278, n° 435.

super impedimentis consanguinitatis et affinitatis, faciliorem se praebere debeat in hujusmodi dispensationibus concedendis, si hac ratione matrimonia inter catholicos jungi possunt, potiusquam in dandis dispensationibus super disparitate cultus, ad effectum ut catholici cum infidelibus matrimonia contrahant.

188. — II. Si matrimonia jam inita fuerint inter catholicos et infideles sine praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus, tunc missionarius sequenti modo se gerat; curet nempe :

1. Ut eae dispensationes nonnisi vere catholicis indulgeantur, et ubi conjux in infidelitate remanens baptizari renuit.

2. Ut tunc solum concedantur, cum ex separatione gravia praevidentur incommoda secutura...

4. Ut in concessione conjugi catholico commendetur atque injungatur catholica quoque prolis educatio, et quod curare debeat, modo quo fieri poterit, conjugis infidelis conversionem.

5. Ut easdem dispensationes impetrantes instruantur super necessaria renovatione consensus, quae ad persecutiones et ad scandala declinanda, sat erit ut inter solos conjuges privatim habeantur patefacta tamen, quoad fieri poterit, etiam parti infideli prioris matrimonii nullitate.

189. « Utrum per haec verba « gravibus de causis » (quae apponi solent in concessione facultatis dispensandi) intelligi possit tanquam causa gravis et sufficiens salus animae illorum qui in tali matrimonio jamdiu contracto absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim si filios genuerint, vel iisdem difficillimum sit ab infideli conjuge separari? R. Causam expositam in quaesito esse gravem et sufficientem ad impertiendam dispensationem de qua agitur[1]. » Imo, urgente necessitate, inquit Genicot, dispensatio dari poterit ad validandum matrimonium jam attentatum, licet pars infidelis renuat satisfacere conditionibus de educatione prolis, etc.

190. N. B. Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis a quibus exempta est pars infidelis ut inde hujus exemptio, propter contractus individuitatem, communicata remaneat et alteri.

CELEBRATIO HUJUSMODI MATRIMONIORUM.

191. Missionarius sese conformabit Instr. S. C. de Prop. Fide. Instructio autem quam modo S. C. de Prop. Fide missionariis trans-

1. Col., t. I, p. 195, n° 319.

mittit, ea est quae data fuit die 15 nov. 1858 (cfr. n° 168, de Matrimoniis mixtis).

Regulariter loquendo, omittitur celebratio missae et quilibet ecclesiasticus ritus.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

192. An impedimenta ex lege civili irritent matrimonia infidelium? — Hodie tanquam certam theologi omnes tenent hanc doctrinam : Potestas civilis nullum impedimentum dirimens matrimonium *fidelibus* statuere potest, ut constat ex praxi Sanctae Sedis et variis R. R. P. P. documentis.

E contra potestati civili competit facultas ponendi impedimenta dirimentia matrimonium *infidelium*. Hanc doctrinam S. S. C. C. Inq. et de Prop. Fide secutae sunt et tanquam tutam normam missionariis transmittere.

Sequens dubium propositum fuit a Vic. Ap. Tunk. Occid. — « Vir fidelis qui cum muliere infideli matrimonium inierat, omissa quadam caeremonia, cujus omissio juxta Tunkini regestas censetur matrimonii impedimentum dirimens, ab ea muliere discessit et aliam uxorem christianam duxit; christianam ipse fidem amplectens, baptismum petit. Teneturne primam ab eo derelictam conjugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri, et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo, et absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat? Si chri-

stiana fieri, aut saltem cum praefato viro pacifice cohabitare consentiat illa mulier, teneturne ad illam redire? Si cum priore hac conjuge, facta christiana, reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab iis renovari consensus? Uno verbo, impedimentum dirimens a principe infideli sancitum, aut apud gentem infidelem antiqua et communi invectum consuetudine, redditne irrita et invalida matrimonia inter viros et mulieres infideles cum tali impedimento contracta?

R. Esse nullum primum et secundum matrimonium. Non esse hinc locum interpellationi, sed esse locum novo matrimonio, servatis servandis, et detur instructio. »

193. En autem tenor Instructionis quae jussu S. Congregat. concinnata fuit : « Triplici sub respectu matrimonium communi doctorum consensu considerari solet, nimirum ut officium naturae, officium communitatis, et sacramentum. »

In quantum est officium naturae (verba sunt Doctoris Angelici in 4, dist. 39, q. I, art. I ad quartum) statuitur lege naturae : in quantum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est officium communitatis, statuitur jure civili, et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.

Si de matrimonio christianorum sermo institueretur, dubitari nullo modo potest, quin prin-

cipes saeculares suis legibus, quatenus ab Ecclesia adprobatae, adoptataeque non fuerint, nullam haberent potestatem in naturalem matrimonii contractum ac conjugale vinculum. Ex quo enim Christus Dominus matrimonium, naturalem scilicet ejus contractum a Deo ipso primitus institutum, ad sacramenti dignitatem erexit, saeculares principes nullam amplius in illud ejusque vinculum potestatem retinent, etc... Sed cum res sit de infidelium conjugio, ratio sacramenti quae christianorum matrimonium Ecclesiae ordinationi subjicit, plane cessat, nec enim non regenerati salutaribus Baptismatis aquis, sacramentorum capaces sunt, nec iis qui foris sunt leges suas edicit Ecclesia. Quare licet inter infideles verum sit matrimonium, illud tamen ad naturae et communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a jure naturali et civili plane est moderandum.

Sequitur hinc principes saeculares, sive fideles, sive infideles plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet, appositis impedimentis quae juri naturali ac divino adversa non sunt, eadem non solum quod ad civiles effectus, sed etiam quod ad conjugalem vinculum penitus rescindant. Qui enim ad reipublicae bonum suis legibus ad legitimitatem, validitatem caeterorum contractuum formam quamdam et solemnitatem praescribere possunt, cur id in matrimoniali infide-

lium subditorum contractu efficere nequeant, ratio non est : et quod de lege principis saecularis hoc in casu dicitur, intellige etiam de legitima consuetudine, quae vim legis in subditos infideles adepta est. His ergo constitutis, jam vides quid sentiendum sit de matrimonio a viro infideli cum muliere infideli inito non servata ea caerimonia seu forma ac solemnitate, quae, sicut asseris, ad ejus validitatem juxta Tunkini regni leges erat servanda.

Porro hujusmodi conjunctio, illegitima plane est, nec verum firmumque matrimonium inter eas personas efficere potest : et cum per leges dissolvi mereatur, quod contra leges praesumitur, planum est concludere virum infidelem ab infideli muliere, quam eo modo sibi copulaverat, jure discessisse, » etc.[1].

194. N. B. Jus naturale et jus divinum possunt apponere etiam impedimenta dirimentia matrimonium infidelium. Et ideo connubium ab infidelibus contractum invalidum est quotiescumque adsunt v. gr. error et metus quatenus debitum consensum impossibilem reddunt, consanguinitas in primo gradu lineae rectae, impotentia antecedens perpetua, ligamen quatenus excludit polyandriam.

1. Col., t. I, p. 433, n 744.

DE POLYGAMIA.

Primaeva matrimonii institutio illud ad perfectam unitatem restrinxit et ideo Deus in principio omnem uxorum pluralitatem exsulavit. Post diluvium vero Patriarchis et populo judaico polygamiae permissio facta est, quae etiam ad gentiles populos videtur fuisse extensa. Quum autem Christus legem evangelicam promulgaverit, conditio matrimonii ita ad primaevam unitatem revocata fuit, ut neque fidelibus neque infidelibus amplius facultas fuerit plures uxores habendi. Ergo matrimonium quod ipsi infideles attentant cum secunda vel tertia uxore, vivente prima, invalidum est, et tenentur hanc solam servare vel repetere, reliquis dimissis. Tempore Christi, divina dispensatio quae antea polygamiam licitam reddidit, jam cessavit et lex evangelica — seu jus divinum — ita promulgata fuit ut universum genus humanum adstringat.

Haec doctrina lucide demonstratur in Instr. S. C. S. Officii (28 mart. 1860) : « Certissimum est polygamiam simultaneam jure evangelico esse omnino illicitam, unde postquam Jesus Christus (Matth., 19) matrimonium ad primam reduxit sanctitatem, unitatem et indissolubilitatem, addita pro baptizatis Sacramenti dignitate, nec infidelibus, nec judaeis, nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores.

Consequenter divinitus sic restituta monogamia, nonnisi unam uni legitimo validoque conjugio devinciri posse inconcussum fidei dogma habetur[1]. »

195. Regulariter loquendo, si infidelis frui velit dicto privilegio post baptisma, si unam tantum eamque legitimam habuerit uxorem, eam interpellare tenetur :

1. An velit converti ; 2. An saltem cohabitare pacifice absque injuria Creatoris ? Utrique aut alteri assentientem accipiet prout jura statuunt. Idipsum dicendum de muliere quae converti vellet ; et in hoc ad paria judicantur conjuges infideles.

Sed pro polygamis infidelibus specialis concessio facta fuit in favorem fidei, nimirum quod illa interpellatio fieri debet quoad primam partem, scilicet an *velit converti tantum*. Renuente prima uxore poterit quamlibet ex aliis eligere, dummodo et illa fidelis fiat, renovato consensu. Hisce enim verbis exprimitur praefata facultas missionariis elargita « dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti[2] ».

1. Col., t. I, p. 649, n° 1188.
2. Col., t. I, p. 649, n° 1188.

APPENDIX

DE ADMISSIONE ACATHOLICORUM IN CATHOLICAS SCHOLAS

AN LICEAT IN CATHOLICAS SCHOLAS ET COLLEGIA ADMITTERE ACATHOLICOS (PROTESTANTES VEL SCHISMATICOS ORIENTALES)?

196. Responsio est affirmativa, prout ex decretis S. Congregat. aperte constat : « Tolerari posse ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod sorores dirigunt » (S. Offic., 1 jun. 1866). « S. Cong. de Prop. F. benignam sese exhibuit ad tolerandum ut in scholas in ambitu missionum institutas et a missionariis directas recipiantur heterodoxi et a catholicis magistris scientiam addiscant » (Instruct. 25 april. 1868). « Quod vero pertinet ad scholas, quae mixtae dicuntur, Vicarii Apostolici recolant Instructionem hujus S. C. die 25 aprilis 1868 et animadvertant eas tantummodo permitti posse, cum nullum, vel nonnisi prorsus

1. Cfr. Col., t. II, pp. 12-16, n° 1329; p. 193, n° 1606; p. 402, n° 2070; p. 410, n° 2093.

remotum fidelibus periculum subsit » (18 oct. 1883). « Cum ob peculiares loci circumstantias impediri non expediat alumnorum schismaticorum ad scholas catholicas concursum, id eatenus tolerari posse memineris... » (S. Offic. ad Episc. Iassien., 22 aug. 1900).

CONDITIONES IN SCHOLIS MIXTIS REQUISITAE.

197. Moderatoribus catholicis facultatem tribuit Ecclesia ut in eorum scholas admittantur heterodoxi praemissis hisce conditionibus :

1° Alumni catholici periculo perversionis nullomodo obnoxii erunt.

2° Summopere cavendum est ne hujusmodi promiscuitas catholicorum et acatholicorum pro utrisque periculo indifferentismi faveat. Fusius indicatur in decretis S. Congreg. quanta cura duplex malum jam enunciatum vitari debeat. «... Cum advertentia ut... sedulo caveat ne ex admissione schismaticorum ullum, ne minimum quidem perversionis et indifferentismi periculum puellis catholicis subsit. » (1 jun. 1866.)

« Vicarii Apostolici... animadvertant eas (scholas mixtas) tantum permitti posse, cum nullum, vel nonnisi prorsus remotum fidelibus periculum subsit. Ad hujusmodi autem periculum avertendum, scholis christianis non adscribantur infideles nisi praevio consensu mis-

sionarii in districtu residentis. » (Instruct. 18 oct. 1883.)

« Id eatenus tolerari posse memineris quatenus... nec naturalis divinaeque legis jura pessumdari, aut catholicorum alumnorum mores et maxime fidem periclitari ullo modo contingat. » (22 aug. 1900.)

QUIBUS MODIS REMOVENDUM SIT PERICULUM INDIFFERENTISMI VEL PERVERSIONIS?

198. In admissione schismaticorum rectores scholarum prudenter ac diligenter pro suis viribus prospicient ne ullum periculum alumnis catholicis subsit: quocirca sedulam habeant curam ut eligant heterodoxos bonae indolis ac optimae familiae.

« Tolerari posse ut puellae schismaticae admittantur dummodo bonam prae se ferant indolem » (1 jun. 1866). « Magistri attente vigilare debent ne admittantur in scholas alumni haeretici pravis moribus dediti. »

DE CATECHISMO.

199. Quoad institutionem catechisticam, integrum est alumnis heterodoxis, ut de consensu parentum lectionibus praesentes sint una cum pueris catholicis. In quo casu, magister debet esse catholicae religioni addictus, et ideo nullo pacto sinendum erit ut pro religiosa

alumnorum schismaticorum institutione schismaticus a catholicis scholarum moderatoribus deputetur quamvis forte id sub tacita vel etiam expressa conditione fiat ut catechista schismaticus... ea tantum tradat quae catholicae et schismaticae doctrinae sunt communia.

Curandum est ut catechista catholicus plenam fidem ac integrum dogma discipulis constanter tradat... multo minus a catechista catholico exigi potest ut ea tantum evolvat quae sunt catholicis et acatholicis communia.

Quid ergo in praxi faciendum? Vel schismatici una cum catholicis doctrinam sacram addiscent, vel toleratur ut alumni schismatici a catechistis schismaticis instruantur: in qua hypothesi, catholici moderatores passive se habebunt hac super re, prout constat ex decreto 22 aug. 1900, et pueri heterodoxi propriis eorum expensis et in loco a scholis catholicis, quantumvis fieri potest, separato, lectiones audient. Sic autem fieri potest ne parentum schismaticorum quaerimoniis ansa praebeatur.

NUM OBLIGARI POSSINT SCHISMATICI AD ASSISTENDUM MISSAE SACRIFICIO UNA CUM CATHOLICIS ALUMNIS?

200. Stricta obligatio adesse non debet, quamvis liceat heterodoxis discipulis assistere sacrificio missae cum catholicis.

« Nec tamen obligentur ad assistendum

missae sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinquatur. » (1 jun. 1866.)

In pluribus locis toleratur ut in functionibus ecclesiasticis ac praesertim in expositione ac benedictione cum Sanctissimo, puellae schismaticae una cum catholicis in ecclesia parochiali canant. (S. Offic. ad Vicar. Ap. Philippopolis, 24 januar. 1906.)

Ergo de stricta obligatione nullomodo loquendum est cum alumnis schismaticis. Timendum est ne hypocritae fiant si obligantur assistere sacrificio missae, quia in hoc casu periculum adesset ne simularentur professionem catholicae fidei contra suam conscientiam erroneam et sic redderentur ad indifferentismum propensi (25 april. 1868).

Alumni schismatici non admittuntur ad sacramenta in Ecclesia catholica antequam de eorum conversione certior fiat Episcopus ; tunc autem abjuratio erroris necessaria est, priusquam absolutionem peccatorum recipiant.

PARTICIPATIO SACRAMENTORUM IN ECCLESIA SCHISMATICA.

201. In hac re, moderatores catholici passive sese habebunt, et ideo si nullomodo possint impedire quin heterodoxi templum adeant a ministris schismaticis sacramenta recepturi, nil debent agere directe ad favendum susceptioni sacramentorum.

DE NUMERO ALUMNORUM SCHISMATICORUM.

202. Necesse est ut ex numero heterodoxorum schola non desinat esse catholica, ita ut v. g. schismatici tertiam partem discipulorum non superent.

In partibus catholicis optat S. Congregat. ut haeretici non admittantur ut interni in collegia catholica, sed in regionibus missionum, in Oriente v. gr., praxis contraria saepius optimo jure toleratur.

Ceterum hujusmodi promiscuitas schismaticorum et catholicorum in scholis catholicis saepe utilis est : 1° schismaticis qui eo modo suum inveteratum odium contra fidem catholicam faciliter deponere possunt ; 2° scholis ipsis catholicis quarum moderatores, adjuvantibus schismaticis, faciles libenter sese exhibebunt ad dirigendos in viam scientiae ac religionis discipulos catholicos qui ad propriam educationem pecuniam sufficientem dare nequeunt. Periculum autem perversionis vel indifferentismi pro utrisque removetur prohibendo ne ulla discussio de rebus ad religionem pertinentibus in collegiis mixtis instituatur « vetito ne unquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus ».

Denique vetatur a S. Congregatione ne puellae ab amicis et conjunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur.

COMMUNICATIO IN SACRIS.

COMMUNICATIO IN SACRIS CUM HAERETICIS [1].

PRINCIPIA GENERALIA.

203. Definitio. — Communicatio in sacris est participatio christianorum unâ cum haereticis, in precibus caeremoniisque publicis, a cultus ministris in nomine Ecclesiae peractis.

Varii gradus participationis in precibus caeremoniisque hic enumerandi sic habentur apud auctores [1]. Datur :

1° Permissio qua caeremoniis nostris, acatholici materialiter tantum ut spectatores interesse possunt;

2° Permissio quâ caeremoniis nostris active participant acatholici, v. g. veluti patrini respondent in Baptismo, crucem osculantur ad oblationem, cuidam officio praesunt, etc.;

3° Permissio quâ, in eodem officio, ritus

1. Nec historiam legis quae communicationem prohibet exponere, nec vota hac in re jam facta vel facienda exhibere voluimus; hoc in loco praebetur tantummodo actualis Ecclesiae disciplina.

falsae religionis cum ritibus nostris simul admiscerentur; quod contingeret, v. g., in exsequiis, si sacerdos catholicus et minister protestanticae religionis simul praeessent, unusquisque preces suas speciales recitando;

4° Petitio ab haeretico aut schismatico sacerdote, per medium catholici facta, ut sibi sacramentum administretur, quod quidem valide, v. g. : Absolutio, Eucharistia, Extrema Unctio in periculo mortis, conferri potest;

5° Participatio formalis catholici ritibus acatholicorum quae quidem habetur quando cooperationis actus pars quaedam est illius superstiosi ritus, si quis, v. gr., precibus publice factis in haeriticorum, schismaticorum, aliorumve caeremoniis, corde et ore cooperaretur;

6° Praesentia materialis tantum catholici in caeremoniis acatholicorum; ut si quis ad coenam aut praedicationem protestantium, vel officium judaeorum ut spectator accedit.

204. Licetne cum haereticis et schismaticis communicare?

Interdictio qua fideles cum haereticis et schismaticis communicare prohibentur duplici obligationi nititur.

Prima de naturali divinoque jure proveniens, fideles directe attingit; bonum ipsorum unice prosequitur, perversionis periculum removendo.

Altera fundatur in excommunicatione contra acatholicos per Ecclesiam pronunciata, quae quidem catholicos etiam obligat ad acatholicorum societatem vitandam.

Ex jure divino prohibentur fideles, modo fidei, modo caritatis causa, ne cum haereticis communicationem habeant. Primo, ob virtutem fidei, caeremoniis et ritibus haereticorum interesse non datur facultas : fidelis enim, aut inclinatur ad assentiendum haereticorum vel schismaticorum erroribus, et tunc ipse haereticus vel schismaticus evadit; aut haeresim et schisma detestans, ex metu tamen aliove motivo falsae religionis actus exteriores ponit et tunc sectam haeterodoxam elegisse putatur et in perversionis periculo versatur.

Etiam ex caritate illicita est communicatio cum ipsa praecipiat ut firmiter removeamus omnem cooperationem quae ansam praebeat scandalo et ruinae catholicorum.

Ex altera parte excommunicantur acatholici ideoque cum fidelibus communicare nequeunt; hac de re, jus naturale divinumque ecclesiastica lege confirmantur. Attamen veteris disciplinae rigorem temperavit Ecclesia, iis solis, scilicet, excommunicatis denunciatis dispositiones valde rigorosas applicando ut fideles a rebellibus christianis absolute separentur.

Nunc insuper, post constitutionem Martini V : *Ad evitanda*, non tantum in civili sed

etiam in sacris, cum excommunicatis toleratis communicare licet, si necessitas cogat et assistentia mere materialis requiratur. Si adsit e contra participatio formalis, haec cooperatio approbationi haeresis aequivalet ac poenam excommunicationis secum trahit : inde, verbi gratia, excommunicantur catholici scienter ac voluntarie coram acatholico ministro matrimonium religiosum contrahentes. Utrum autem quaelibet communicatio formalis in ritu haeretico poenam istam incurrere faciat? Non datur responsio generalis in praecitato Sancti Officii decreto quod benedictionem nuptialem ab heterodoxo datam unice considerat.

205. Obligetne semper lex circa communicationem in sacris ?

Nunquam licet : 1° fidei amittendae occasioni proximae sese exponere;

2° Aliis ejusdem periculi causam exemplo suo praebere;

3° Falsum dogma profiteri.

Inde fit ut dispensatio dari non possit, si communicando in sacris cum haeterodoxis, subeat quis omnia vel unum tantum ex supradictis incommodis; quia autem impossibile videtur omnia simul vitare, sequitur inde legem communicationis plerumque obligare. Idcirco fere impossibile est usu verine ut e flagitio excusari valeant catholici sese in

rebus sacris cum haereticis et schismaticis admiscentes.

206. Attamen magna difficultas cum impossibilitate absoluta haud est confundenda. Etenim idem Benedictus XIV in Instr. 24 febr. 1752 semel et iterum agnovit communicationem in sacris non esse prohibitam in omnibus circumstantiis : « Addidit (Ben. XIV) praeterea communicationem in divinis cum haereticis non posse nec debere tam facile ac tam generaliter pronunciari in omni penitus circumstantia de jure vetitam; et Sanctissimus iterum deduxit hanc cum schismaticis communicationem non posse omnino et in omni eventu conclamari prorsus illicitam. »

207. His verbis innixi, communicationem cum heterodoxis, in quibusdam circumstantiis, neque naturali neque divino juri obstare, asserendum ducimus, ideoque tunc tolerari posse ab Ecclesia. Sane quidem habetur etiam nunc communicatio ut lex positiva ecclesiastica : omnibus autem notum est legem mere ecclesiasticam non amplius obligare, cum in applicatione, grave quoddam incommodum inveniatur. Illud principium : « Lex non obligat cum tanto incommodo » semper viget et applicari potest, quandocumque ratio gravis adest cum orthodoxis aliisque communicandi : de cetero sufficienter secluso perversionis et scandali periculo. Sic

optime respondetur cuicumque interroganti cur Ecclesia prae se ferat tantam speciem severitatis ut fere semper idem responsum intimet: « Non licere. » Facile tamen est intellectu, S. Sedem Congregationesque Romanas ob legitimam sollicitudinem circa grave damnum ex societate continua cum acatholicis profluens, pro rigore principiorum accurate perstare, verbaque legis singulis vicibus pronunciare. De cetero, semper integrum est ut secundum epikeiam sententiasque prudentes theologorum in tractatu *de Legibus* expositas, peculiaria decreta, quisque interpretetur. Erraret enim qui decreta, pro tali conditione aut circumstantia peculiari, aperte edicta, omnibus casibus putaret applicanda. Tandem aliquando talia venerunt in usum quorum abolitio vere perniciosa foret.

208. Decreta ecclesiae.

Nunc mere indicanda sunt decreta ab ecclesiastica auctoritate prolata. Decreta pro Oriente redacta hic plerumque citabimus quum praesertim in regionibus Orientalis adsit cum acatholicis societas. Peculiaris conditio regionis illius speciales requirit leges quoad locum et personas. Haud recte quidem non ageret qui, v. gr., catholicos in Oriente degentes putaret iisdem dispositionibus teneri quibus parochi confessores que Urbis tenentur juxta Instructiones Card. Romae Vic.

209. Eucharistia.

Nunquam licet catholicis in ecclesia schismaticorum communionem accipere. Universalis est haec prohibitio; nec obligatio paschale praeceptum servandi neque carentia catholici sacerdotis illam violare permittunt.

Non licet catholicis, etiam diebus praecepti missam schismaticorum audire : se abstinere melius est.

Decretum illud valet etiam in carentia catholici sacerdotis, licet in caeremoniis acatholicis nullus error contra fidem adsit.

Catholici in ecclesia sua licentiam celebrandae missae schismaticis dare nequeunt.

Congregatio de Prop. Fide missionariis suis facultatem celebrandi recusat in eadem ecclesia ubi et schismatici ritus sua officia celebrant : tunc in privatis domibus super altare portatile, potissimum celebrare curent.

In ecclesiis autem ab haereticis injuste occupatis, licet catholicis missam celebrare.

Igitur haec est norma generalis : catholici et schismatici in eadem ecclesia licet super diversis altaribus missam celebrare nequeunt.

Attamen ista lex exceptiones patitur : Hierosolymis, v. g., communis est ecclesia Sanctissimi Sepulcri latinis, graecis et gregorianis.

Item anno 1704, Sanctum Officium Ethiopiae praefecto facultatem dedit, ut in ecclesiis schismaticorum, imo super altaribus eorum sacro

lapide tamen adhibito, catholici sacerdotes missam celebrare possint.

Ministri in choro. — Sacr. Officium Terrae Sanctae Patribus non permisit ut admittant pueros schismaticorum qui sacrificii missae ministri essent.

Item Smyrnae.

Aliquando toleratur ut schismatici cantent in ecclesiis catholicis.

Adoratio sacratissimi sacramenti. — Quidam Chiensis sacerdos a S. Cong. de Prop. Fide petierat :

1° Licetne catholicis, ob curiositatis causam, schismaticorum ecclesiam adire officiorum tempore? 2° Licetne iisdem catholicis Sanctissimum Sacramentum in ecclesia schismaticorum venerari et coram imaginibus sanctorum orare, orthodoxis adstantibus? 3° Licetne catholicis, Sanctissimum Sacramentum adorare dum aegrotanti defertur a sacerdote orthodoxo?

Ita respondit S^ta^ Cong. de Prop. Fide : quoad primum affirmative, dummodo absit scandalum.

Quoad secundum, pariter affirmative dummodo non conjungantur in precibus cum schismaticis.

Quoad tertium non modo licere sed debere adorare S. S. Sacramentum, sed tamen catholici debent abstinere ab associando. Scribatur quod occasione qua non possit evitare dela-

tionem sacramenti, illud adoret, sed non prosequatur deferentem nec ingrediatur ecclesiam graecorum.

210. Processio. — Generaliter, catholici schismaticos invitare nequeunt, ut simul cum ipsis processionibus intersint. Consuetudo tamen adversa tolerari potest, testante Benedicto XIV, si usus inveterati suppressio aliquod grave nocumentum provocet. Corcyrae, catholici et schismatici, duce proprio illorum episcopo, solemni processioni in honorem S. S. Sacramenti fundatae, solebant interesse quotannis. Declaravit Benedictus XIV consuetudinem hanc tolerari melius esse, si quae incommoda timerentur, vel gravia detrimenta pro fide forsan evenirent.

211. Poenitentia. — Non licet catholicis — sacerdotibus, religiosis, laïcisque — curam praebere qua sacerdos orthodoxus apud moribundum adducatur. Passive se habeant moniales, aliis tamen personis statum aegrotantis indicare valent. (14 decembris 1898.)

Adveniente schismatico sacerdote apud aegrotantem communicaturum, licetne ad hunc finem omnia parare? Aliqui theologi censent licitam esse hanc cooperationem ob motivum grave praesertim ex bono communi proveniens.

212. Ordo. — Potestne catholicus Epi-

scopum schismaticum adire sacros ordines accepturus?

Sanctum Officium respondit negative, subjungens : catholicos hujusmodi ordinatos irregularitatem et suspensionem ab exercitio ordinis incurrere.

213. Matrimonium. — Non peccat assistens mere spectator matrimonio orthodoxorum.

Catholicus, in matrimonio coram haeretico ministro, testis officio fungi non valet, neque domum suam ut ibi sacerdos orthodoxus religiosum ritum expleat, commodare potest. Constantinopoli, uterque casus reservatur.

Utrum in matrimoniis catholicorum accipiendi sint testes orthodoxi? Negative. Ordinarius tamen, ob gravem causam remotoque scandalo, tolerare potest.

214. Praedicationes. — Licetne missionariis catholicis, invitatione facta, in ecclesiis schismaticorum praedicare?

Utique, si catholicam veritatem integram praedicare, schismaticorumque errores manifestare libere possunt; minime autem si ultra virtutes et vitia catholicis schismaticisque communia progredi prohibentur.

215. Exsequiae. — Sacerdos catholicus, deficiente ministro schismatico, exsequiis orthodoxi praeesse nequit.

Postulante Bukarest archiepiscopo : utrum, ob causas graves, catholici sacerdotes usque ad cemeterium protestantem comitari valeant ? Sanctum Officium respondit negative, decretum ex anno 1859 afferens quo quidem catholicus parochus exsequiis acatholicorum ut parochus interesse non potest.

S. Sedes heterodoxorum exsequiis adesse catholicis permittit, si tantum ut spectatores adsint; quin ritibus damnatis aut orationi pro anima defuncti participent.

Nec pulsentur campanae. Laus vero virtutum civilium defuncti schismatici vix tolerari potest si fit a laïcis; parochus autem et praesertim episcopus abstineant.

Graeci, in suorum exsequiis, vicinis amicisque colivia tribuere solent, et accipiens defuncti memor respondere debet : « parcat illi Dominus ! » Licetne catholicis oblatum accipere ? (Priusquam distribuantur, colivia super tumulum orthodoxi posita sunt et quandoque in honorem sancti cujusdam oblata.)

Congr. Sancti Officii sic respondit : prout exponitur, non licere.

In exsequiis catholicorum, admitti possunt haeretici, si velut amici mereque spectatores adsint; nec tamen ritum suum adhibere vel in nostrum ritum sese formaliter ingerere nullomodo possunt.

216. Licetne catholicis et schismaticis

HABERE CEMETERIUM COMMUNE? — Optandum est ut catholici cemeterium proprium a schismatico distinctum habeant, aut saltem dimidiatum cemeterium in duas partes quarum una catholicis, orthodoxis altera tribuatur.

Quod si fieri nequit, sacerdos singulis vicibus priusquam sepeliatur defunctus, benedicit tumulum.

In urbe Mossoul quaeque familia sepulcrum habet proprium. Licetne parentes acatholicos juxta catholicos ibi deponere? Sanctis canonibus obstantibus, toleravit tamen S. Sedes, ad malum pejus vitandum.

217. Per decretum 3 aprilis 1886, Cong. de Prop. Fide usum prohibuit quo nomina hereticorum in ecclesia dicebantur deindeque oratio fiebat pro eis.

Non licet catholicis vexilla aut imagines in ecclesia schismaticorum exponere ut ibi colantur; neque lampades ardentes ibi collocare.

Non licet stipendia missarum dare sacerdotibus orthodoxis.

Item in hereticorum ecclesia organa pulsare non licet.

218. COOPERATIO. — Definitur cooperatio concursus cum alio principali agente.

DIVISIO. — Cooperatio est principalis vel secundaria, proxima vel remota, positiva vel negativa, secundum quod concursus sicut agens

principalis, coprincipalis aut secundarius commodatur immediate vel mediate, proxime vel remote, positive vel permissive.

Principia. — 1° Nunquam licet cooperari formaliter, quia nunquam licet peccare. Cooperatio principalis vel immediata semper est formalis. 2° Quoad cooperationem materialem, mediatam et remotam, difficultas non est, causa enim rationabili facile justificatur. 3° Cooperatio materialis, mediata et remota dubia quaedam aliquando gravia facit oriri : illam cooperationem licitam esse tantum in sequentibus conditionibus in mentem quisque revocare debet, nimirum : *a*) actio per se bona est vel saltem indifferens, *b*) causa justa, proportionata permittit vel saltem peccatum alterius non impedit.

219. Normae in extruendis, custodiendis, exornandis, restaurandis, visitandisque templis aut schismaticorum ecclesiis.

Licetne schismaticorum ecclesias aedificare ?

In regionibus orientalibus ubi schismatici multi sunt et in pacifica possessione ritus sui, cooperatio materialis remota, ad causam rationabilem seu ordinariam licita est. Cooperatio materialis proxima (titulo v.g., architecti, restauratoris, etc.), ob causam justam proportionatam permittitur. Imo, Constantinopoli, cooperatio proxima in extructione aut restauratione moschearum licita est, nisi fiat in odium religionis : tunc enim esset cooperatio formalis.

Haec secunda cooperatio prout scimus non permitteretur in regionibus ubi fautores erroris pauci numerantur, et ideo, Romae v. g. ab ecclesiastica auctoritate interdicitur.

220. Licetne catholico pecuniam dare ad extruendam schismaticorum ecclesiam? Plures auctores censent cooperationem formalem adesse quando sponte offertur pecunia pro schismaticorum religiosis institutis.

Attamen licitum esset catholicis ad extruendam schismaticorum ecclesiam cooperari, cum sola intentione removendae promiscuitatis orthodoxorum in eadem ecclesia.

Licet catholicis orthodoxorum ecclesias adire, ex mera tantum curiositate, absque ulla communicatione in sacris.

Ad alios casus quod attinet, consule theologiae moralis auctores.

DOCUMENTA ET DECRETA

PROŒMIUM

Quando aliquis inter missionarios orientales adlectus res et controversias hoc in loco tractandas suscepit, plane animadvertit quam necessarium esset opus morale vel canonicum jamdiu a plerisque desideratum, quod praeter praescripta juris communia quae in regionibus Orientis observare debent, complecteretur etiam mandata particularia quae a S. Congregationibus edita fuerunt. Sane haec decreta aliis atque aliis temporibus lata in foliis circularibus vel in Collectaneis continentur, sed id crebro usuvenire compertum est ut haec Regesta in bibliothecis operariorum apostolicorum aliquando desiderentur, vel non sine temporis jactura frustra quaerantur. Quocirca maxime expedire censuimus ut haec mandata ex authenticis codicibus in hoc libello collecta,

suisque locis inserta convenienti methodo oculis subjiciamus ac breviter interpretemur.

Haud vero singulas instructiones ex integro referre utile visum fuit, sed earum tantum partem dispositivam exhibere quae facilius intellecta, in praxim ordinariam deducitur. Caeterum laborem susceptum nullomodo supervacaneum duximus; plures enim sunt recentiores quaestiones heic additae, ut puta de jurisdictione ministrorum schismaticorum, de Constitutione Leonis XIII, etc., quas apud juris canonici vel Theologiae Moralis auctores frustra requiras.

Hoc in opusculo concinnando nullomodo hunc finem sibi proposuit auctor ut plenus juris canonici codex scribatur vel de quaestionibus. Agatur quae ad theologiam moralem pertinent : sunt enim plures resolutiones quae nullam frugem pro missionariis habent; aliae vero in theologia moralis pertractantur : quam porro scientiam probe notam esse recte putamus.

De norma quam in scribendo tenui pauca sunt addenda. Prout constat ex secundario titulo hujus operis, tractatur de sacramentis ac de ritibus orientalibus et ideo in unoquoque articulo sermo fiet de relationibus inter

fidelem latinum et fidelem orientalis ritus.

Occasione tractatus de S. Eucharistia, agitur de Constitutione *Orientalium dignitas*. Recens decretum *Ne temere* brevissimum suscepit commentarium juxta responsa pro Oriente nuperrime promulgata.

Cum vero et aliae sint quaestiones quas ignorare nefas est, cujusmodi sunt quae de communicatione cum schismaticis, de scholis mixtis occurrunt, eas ne praedictus ordo turbaretur, ad calcem operis adnectandas censuimus.

Denique cum in librorum lectione nil utilius accidat quam si in eodem opere simul adsint res et documenta, quaedam principaliora decreta loco appendicis citavimus.

DE BAPTISMO

In aliqua paraecia Hungariae accidit ut mater a fide catholica apostataverit, quia parochus in baptizanda ejusdem prole patrinam haereticam, inhaerendo legibus Ecclesiae rejecerit; quum vero ex declaratione S. Poenitentiariae die 10 dec. 1860, notorie censuratus ad munus patrini admitti possit, si ex ejus rejectione gravia damna imminere videantur; quaeritur utrum haec declaratio etiam ad patrinos haereticos extendi possit, an vero praestet, sicut nonnulli volunt, in hujusmodi casibus difficilibus baptismum sine patrino administrare?

Negative, et praestare ut baptismus conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit.

(*S. Offic., die* 3 *maii* 1893.)

L'Arcivescovo M. M., prostrato ai piedi della S. V., umilmente chiede se possa permettere ad un protestante che faccia da patrino nel battesimo cattolico di una figlia di coniugi di mista religione, sposati solo innanzi al ministro eretico.

Permitti non posse.

(*S. Offic.*, 27 *junii* 1900.)

DE CONFIRMATIONE

1. — *Ex Instr. Clementis P. P. VIII,* 31 *augusti* 1595 (Ad Episcopos latinos, in quorum civitatibus graeci vel Albanenses graeco ritu viventes degunt). — Presbyteri graeci baptizatos chrismate in fronte non consignent; et ideo ab ipsis in ordine Baptismi apud eorum euchologium praetermittantur quae sequuntur post illa verba : καὶ μετὰ τὴν εὐχήν, etc., usque ibi : εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου, hoc est, et post orationem, etc. (ubi habetur forma hujus consignationis) usque ad verba : Postea facit sacerdos figuram circuli, etc.

Episcopi latini infantes seu alios baptizatos a presbyteris graecis de facto chrismate in fronte consignatos, confirment; et tutius videtur ut cum cautela et sub conditione id faciant (videlicet : N. si non es confirmatus ego consigno te signo Crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti), praesertim vere cum verisimiliter dubitari potest quod ab Episcopis graecis fuerint baptizati.

2. — *Ex Litt. S. C. S. Officii,* 16 *junii* 1844. — Il Vicario Ap. di Verapoly premettendo di avere ordinato che nell' amministrazione della Cresima siavi un solo patri pei maschi, ed una sola matrina per le feminine, dimandava se poteva proseguire in quest' uso, eccettuando solo quei casi nei quali i parenti propongono pel cresimando o cresimanda un patrino od una matrina in particolare. Ora gli E^mi^ Sigg. Cardinali Inquisitori Generali preso ad esame tale esposto nella Cong^ne^ di fer. IV, 11. Corrente, hanno decretato che si risponde al sul-

lodato Mons. Vicario Ap. che l'ordina da lui dato non si ravvisa conforme alle disposizioni del Pontificale Romano : Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat arbitrio Episcopi. Il senso della quale disposizione è che non possa, per regola, darsi un solo patrino o una sola matrina ad una moltitudine collettiva di cresimandi o cresimande, ma che anzi generalmente un solo patrino o matrina non possa tenere nel tempo stesso più di due candidati e candidate, salvo, il caso di necessità, che cioè non sia possibile di avere un numero sufficiente di abili persone per quest' officio. Ed allora il Vescovo, vista la necessità, puo decampare da questa norma, e permettere in via d'esecuzione che i patrini e matrine tengano un maggior numero di cresimandi. D'onde è chiaro che nell' ordinanza di Mons. Vicario Ap. di Verapoly havvi un malinteso e una inversione di Armini, avendo egli adottato per regola ordinaria cio che costituisce un' eccezione speciala pel solo caso di necessità; al che potrà egli praticamente rimediare nella sua prudenza secondo la contingenza dei casi, attenendosi alla normo del Pontificale.

DE EUCHARISTIA

DECRETUM S. CONGR. CONCILII 22 MAII 1907 :

De Missarum stipendiis.

Ad praecavendos abusus quoad missarum stipendia, S. C. Concilii, 27 aprilis 1907, haec statuit:

1. Ut in posterum quicumque missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente.

2. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque numerum missarum quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis missis procedat.

3. Denique si qui vel Epicospi vel sacerdotes velint in posterum missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt, mittere, semper et in singulis casibus id praestare debebunt per S. Congreg. Prop. Fidei. — Quod decretum approbavit Pius P. P. X, 28 aprilis 1907.

S. CONG. CONCILII

RESPONSA EX AUDIENTIA SS^mi^, 9 SEPT. 1907 :

De eleemosynis Missarum quae ad Orientales mittantur.

Propositis in S. Congregatione his dubiis :

I. Num Delegati Apostolici comprehendantur dispositione art. III decreti Recenti, 22 maii 1907, quo Missae directe mitti vetantur ad Antistites et Presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt?

II. Num Superiores Ordinum et Institutorum intentiones Missarum cum eleemosynis annexis,

ad suos subditos in Oriente degentes directe mittere possint?

S. Congregatio respondit : Ad I^um^. Negative; ita ut nempe mitti possint ad praefatos R^mos^ Delegatos Missarum intentiones cum respectiva eleemosyna, ut eas distribuant dumtaxat praelatis et sacerdotibus delegationis suae.

Ad II^um^. Affirmative et taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris.

S. C. DE PROP. FIDE (PRO NEGOTIIS RIT. ORIENTALIS).

INSTRUCTIO 15 JUL. 1908

De ratione qua Missae ad Orientales Eccl. sint transmittendae.

Cum plures praelati enucleatas instructiones postulaverint circamodum quo transmissi possint Missae ad Ecclesias rituum orientalium, haec S. C., ad tramites recentiorum Decretorum, has distinctas normas proponit ab omnibus ad amussim servandas :

1° Si qui velint Missas, quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc praestare possunt non modo per hanc S. C., uti praecipitur in Decreto Recenti S. C. Concilii (die 22 maii 1907) sed etiam per R^mos^ Delegatos Apostolicos in regionibus orientalibus constitutos. Quo in casu, necesse est significare Delegatis Apostolicis quot Missae et quae stipendiorum summa tradi debeant praelatis orientalibus intra cuiusque Delegationis ambitum existentibus.

2° Nullatenus licet eleemosynas mittere ad vi-

ros laicos qui postea eas distribuant sacerdotibus Missas celebraturis.

3° Neque licet celebrationem Missarum directe committere presbyteris orientalibus.

4° Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores Congregationum religiosarum orientalium.

5° Immo neque licet Missas directe committere Praelatis orientalibus qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

6° Si vero agatur de Antistitibus habentibus jurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab Episcopis et sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subiectorum, uti declaravit S. C. Concilii die 18 martii 1908. Ne autem, ex pluribus locis simul, multae eleemosynae confluant in unam et eamdem dioecesim (quod nimiam dilationem in Missis celebrandis secum ferret); ideo qui committit eleemosynas alicui Praelato orientali, certiorem faciat de numero Missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis ad quem spectat vigilare ut Missae, ea qua par est sollicitudine, celebrentur.

In Delegatione Apostolica Constantinopolitana :

Ecclesiae ritus Armeni :

Constantinopolitan., Adanen. (Adana), Ancyran., Bursen. (Brussa), Caesareen-Ponti, Erzerumien. (Erzerum), Sebasten. (Sebasse ou Sivas), Tokaten. (Tokat), Trapezuntina (Trebisonda, Trébizonde).

Ecclesiae ritus Bulgarici :

Vicariatus Apostolicus Traciae (Andrinopoli), Vicariatus Apostolicus Chalcedoniae (Salonae, Salonicco, Salonique).

In Delegatione Apostolica Syriae :

Ecclesiae ritus Armeni :

Aleppen. (Aleppo vel Beroë), Marascen. (Marasc).

Ecclesiae ritus Graeco-Melchitae.

Aleppen., Heliopolitan., Beryten. (Beyrouth), Bostren. et Auranen. (Bosra et Auran), Damascen., Emesen. et Apamen. (Homs et Hama, Emèse vel Homs et Hama vel Apamée), Caesarien. vel Panaen. (Paneas, Césarée de Philippe), Sidonien., Ptolemaiden. (Tolemaide seu S. Giovanni d'Acri, Ptolémais, Saint-Jean-d'Acre), Tyren., Tripolitan., Mariamnen. (Zahle vel Fourzol).

Ecclesiae ritus Syriaci :

Aleppen., Beryten. (Beyrouth), Damascen., Emesen. et Apamen.

Ecclesiae ritus Syro-Maronitici :

Aleppen., Heliopolitan. (Balbek, Balbeck), Berysen., Cippen., Damascen., Gibailen. et Botryen. (Gebail et Batrun, vel Botri), Tyren., Tripolitan., Sidonien. (Sidone, Sidon vel Saida).

In Delegatione Apostolica Mesopotamiae :

Ecclesiae ritus Armeni :

Amiden. (Diarbékir vel Amida), Karputhen., Marden. et Amiiden, Melitenen. (Malitia, Mélytène), Muscen. (Musc).

Ecclesiae ritus Syriaci :
Babylonen., Amiden., Jaziren., Marden. et Amiden., Mausilien. (Mossul, Mossoul).
Ecclesiae ritus Chaldaici :
Babylonen., Amiden., Jaziren., Marden., Mausilien., Zakuen., Amadien., Ahren., Cherchen. (Kerkuk, Kerkouk), Serten. (Seerth), Salmasien., Schamen. (Sena vel Sina), Urmian...

In Delegatione Apostolica Aegypti :

Ecclesiae ritus Armeni :
Alexandrin.
Ecclesias ritus Copti :
Alexandrin., Hermopolitan. (Hermopoli, Hermopolis Majeure vel Minieh), Theban.

In Delegatione Apostolica Indarum :

Ecclesiae ritus Syro-Malabarici :
Vicariatus Apostolici : Ernaculamen. (Ernaculum), Changanacheren. (Chaganachery), Trichurien. (Trichur).

PAROCHI ORIENTALES PRO POPULO MISSAM CELEBRARE DEBENT.

Ex Litt. Encycl. S. C. de Prop. Fide

8 nov. 1882 (*Ad Delegatos Ap. pro Orient.*).
Ex iure divino hypothetico sono i parrochi obbligati all' applicazione della Messa pro populo. Deve però notarsi che il diritto divino ipotetico e

anche dispensabile, per gravissime ragioni, dalla suprema autorità pontificia, potendo questa limitare i doveri parrocchiali nelle cose non necessarie per se alla salute delle anime. Con ogni diligenzia pertanto la S. V. Aornerà a verificare se esistano fra gli orientali della sua Delegazione vere parrocchie, ritenendo che a tale determinazione non si richieggono tutte le formalità prescritte dalle leggi della Chiesa latina, na basta che per autorità de Vescovo Siano stabilmente circoscritte certe comunità di fedeli, le quali abbiano il diritto di avere un sacerdote come proprio pastore, il quale vi officii ipsi ab Episcopo commissi in hac tali communitate debba esercitare munus pastorale colla giurisdizione in foro interno vi ipsius oficii, coll' amministrazione dei Sagramenti, colla predicazione dei Sagramenti, colla predicazione della parola di Dio.

L'amovibilità ad nutum non è per se un segno della mancaza di dritto parrocchiale. Anche l'amministratore messo dal Vescovo per un tempo determinato o indeterminato ha tutti i doveri del parroco (purchè si Aratti di vera parrocchia). Nè la mancanza di rendite dispensa dell' obbligo in parola, essendo questo compreso nell'officio pastorale, anche prescindendo dai frutti del Beneficio. Per contrario quando non si tratta di parrocchi, ma di semplici missioni, non evvi alcun obbligo di applicare la Messa pro populo.

CONSTIT. *Orientalium dignitas.*

I. Missionarius quilibet latinus, e clero saecu-

lari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat, praeter *suspensionem a divinis* quam *ipso facto* incurret, ceterasque poenas per eamdem Constitutionem *Demandatam* inflictas, officio suo privetur et excludatur. Quae praescriptio ut certa et firma consistat, exemplar eius patere vulgatum apud Latinorum ecclesias jubemus.

II. Ubi desit proprii ritus sacerdos cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat Parochus alieni ritus qui easdem atque ipsi species, azymum vel fermentatum, ad consecrandum adhibeat; anteferatur qui eas adhibeat ritu orientali. — Fidelibus autem sit facultas communicandi utrovis ritu, non eis tantummodo locis ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, prout a sacro Consilio christiano nomini propagando decretum est die XVIII augusti anno MDCCCXCIII, verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire : de quo Ordinarii esto judicium. Idque fixum resideat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare Parocho suo addictum.

III. Sodalitates Religiosorum latinae, quae juventuti instituendae in Oriente dant operam, si quo in collegio alumnos ritu orientali non paucos numerent, sacerdotem ejusdem ritus, Patriarcha consulto, apud se habeant ipsorum commodo alumnorum, ad missae sacrificium, ad sacram synaxim, ad catechesim patria lingua impertiendam ritusque explicandos; aut saltem

diebus dominicis ceterisque de præcepto occurrentibus festis talem sacerdotem arcessant, ea officia praestiturum. Quam ob causam eisdem Sodalitatibus quaevis privilegia, etiam speciali mentione digna, quibus gaudeant ut alumni orientalis ritus, quamdiu in collegiis ipsarum degant, latinum sequantur, adempta esse omnia edicimus : de ritualibus autem abstinentiis servandis moderatores cum religiosa aequitate videant. — Item alumnis externis prospiciatur : quod ad proprias ipsorum ecclesias seu curias remitti aut perduci oportebit, nisi videatur eos cum internis ad ejusdem ritus officia admittendos.

IV. Eadem praescripta transferenda sunt, quoad fieri possit, ad Religiosarum Sodalitates, puellis educandis in asceteriis scholisque deditas. Quod si qua immutatio per tempora et res opportuna inciderit, ea non ante fiat quam Patriarchae consensus accesserit et venia Apostolicae Sedis.

V. Nova, ritu latino, juventutis collegia vel domus Religiosorum utriusvis sexus ne in posterum aperiantur, nisi Apostolica Sede rogata et consentiente.

VI. Presbyteris tum latinis, tum orientalibus, neque in suis, neque in alieni ritus ecclesiis, fas est quemquam absolvere a casibus qui suis cujusque Ordinariis sint reservati, nisi facultate ab eisdem permissa : qua in re quodvis privilegium, vel speciali mentione dignum, prorsus revocamus.

VII. Orientalibus qui ritum latinum, etiamsi ex pontificio rescripto, susceperint, revertere ad pristinum, Apostolica Sede exorata, licebit.

VIII. Mulieri latini ritus quae viro nupserit ri-

tus orientalis, aeque ac mulieri orientali quae nupserit latino, integrum erit ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio, transeat : matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

IX. Quicumque orientalis, extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini, ritui tamen suo permanebit adscriptus; ita ut, nihil diuturnitate aliâve causa ulla suffragante, recidat in ditionem Patriarchae, simul ac in ejus territorium revenerit.

X. Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto R gioso latini ritus, quemquam orientalem inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit.

XI. Si qua ex dissidentibus communitas vel familia vel persona ad catholicam unitatem venerit, conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus, huic ritui remaneat ea quidem ad tempus adstricta, in eius tamen potestate si ad nativum ritum catholicum aliquando redire. Si vero eiusmodi conditio non intercesserit sed ideo ipsa communitas, familia, persona a latinis presbyteris administretur quia desint orientales, regrediendum ipsi erit ad ritum suum, statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia.

XII. Matrimoniales et ecclesiasticae, quaecumque sint causae, de quibus ad Apostolicam Sedem appellatio fiat, nequaquam Delegatis Apostolicis definiendae, nisi aperte ea jusserit, committantur, sed ad sacrum Consilium christiano nomini propagando deferantur.

XIII. Patriarchae Graeco Melchitae iurisdictionem tribuimus in eos quoque fideles eiusdem ri-

tus qui intra fines Turcici imperii versantur.

In seguito alla pubblicazione della Lettera pontificia *Orientalium dignitas Ecclesiarum* fu domandato se i Cattolici Orientali che usano il fermentato, trovandosi in luoghi ove sono solamente sacerdoti latini ed orientali che consecrano in azimo, debbano sottostare alla giurisdizione del parroco latino, ovvero a quella del parroco orientale che piu loro aggrada. A risolvere tale dubbio Sua Santita, udito parere della *Commissione Pontificia per la riunione delle chiese dissidenti,* ha deciso che i detti fedeli devono sottostare alla giurisdizione del parroco orientale da loro scelto, dalla quale peraltro non potranno sottrarsi, finché dimorano nello stesso luogo. Quanto poi alla Comunione, siccome giusta il decreto della propaganda (18 agosto 1893) i Cattolici Orientali non aventi chiesa o sacerdote proprio, possono libera mente comunicarsi *juxta ritum Ecclesiae existentis in praedictis locis,* per coordinare armoniosamente questo decreto con la nuova prelodata disposizione che determina la parrocchialita di quei fedeli : è ben naturale che il detto decreto resti in vigore per le sole comunioni fatte *devotionis causa,* e nons per la comunione pasquale e per il Viatico, che dovranno d'ora innanzi essere somministrati dal proprio parroco, perché non siano lesi i diritti parrocchiali.

(*S. Cong. de Prop. fide,* 26 *februar.* 1896.)

Primo dubbio relativo all'articolo II°.

a) Il parroco latino che amministra famiglie ed individui di rito orientale non aventi né chiesa né

parroco del proprio rito, deve continuare ad amministrarli loro qual parroco o incarichi altro sacerdote di rito orientale ad amministrarli qual parroco? — ovvero dovrá il parroco latino rimetterli al parroco orientale ivi esistente, che sebbene di rito diverso da quello dei suddetti amministrati, usa pero le stesse specie dei medesimi?

Risp. : Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

b) E se non esiste nel luogo un parroco di rito orientale che adoperi le stesse specie dei detti amministrati, ma esiste altro parroco di rito orientale, che adopera peró specie diverse, dovrá nondimeno questo parroco preferirsi al parroco latino?

Risp. : Negative.

Soluzione di alcuni dubii proposti alla S. C. di propaganda dal delegato Apostolico della Siria (24 *maggio* 1895).

DE CONFESSIONE

CATHOLICI ORIENTALES SUBJICIUNTUR CONSTIT. APOSTOLICAE SEDIS.

1. — Essendo stato promosso il dubbio si gli orientali son soggetti alla Costituzione *Apostolicae sedis* pubblicata dalla f. m. di Pio IX in data dei 12 ottobre 1869 la suprema Congregazione del S. Offizio con successiva approvazione della Santita di N. S. ha dichiarato quanto segue nella feria IV. 15 luglio corrente anno :

« I. Per Constitutionem *Apostolicae Sedis* nihil

esse innovatum circa censuras earumque reservationes pro fidelibus rituum orientalium.

« II. Eosdem fideles subjici omnibus censuris ab Apostolica sede latis in materia dogmatum et in Constitutionibus in quibus implicite de iis disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed jus nuturale et divinum declaratur.

Vuole poi la sudd. Supr. Congregazione che per mezzo dei R^mi Delegati Apostolici siano notificate queste disposizioni a tutti i Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi di rito orientale compresi nella rispettiva loro Delegazione, e che si ricordi loro : « illos fideles subjici nominatim nedum censuris, sed etiam Apostolicis reservationibus latis in const. Benedicti XIV. *Sacramentum Paenitentiae* et in Constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos. »

S. C. de Prop. Fid. (6 *aug.* 1885).

2. — *S. R. U. Inquistionis* (*S. Officii*).
Decreta 23-24 Aug. 1905 et 12-13 dec. 1906.

Facultas pro confessionibus facta sacerdotibus navigantibus.

A. Decretum 23-24 aug. 1905.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis E^mi ac R^mi D^mi decreverunt :

Sacerdotes quoscumque maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, ex cuius dioecesi discedunt, vel ab Ordinario, portus in quo in navim conscendunt, vel etiam ab Ordi-

nario portus cuiuslibet intermedii, per quem in itinere transeunt, sacramentales confessiones excipiendi, quia digni, scilicet, atque idonei recogniti ad tramitem Conc. Trident. sess. XXIII, cap. xv de Ref., facultatem habeant vel obtineant; posse toto itinere maritimo durante, sed in navi tantum, quorumcumque fidelium secum navigatium confessiones excipere, quamvis inter ipsum iter navis transeat, vel etiam aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

B. Decretum 12-13 dec. 1906.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis E^mi ac R^mi D^ni decreverunt :

Supplicandum SS^mo ut concedere dignetur sacerdotes navigantes, de quibus supra, quotiens, durante itinere, navis consistat, confessiones excipere posse tum fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant, tum eorum qui, ipsis forte in terram obiter descendentibus, confiteri petant eosque valide ac licite absolvere posse etiam a casibus Ordinario loci forte resevatis, dummodo tamen — quod ad secundum casum spectat — nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat.

DE MATRIMONIO

RESPONSA S. CONGREGATIONIS CONCILII.

I. Responsa 1 *februarii* 1908.

I. An decreto *Ne temere* astringantur etiam catholici ritus orientalis? — Et quatenus negative?

II. Utrum ad eosdem decretum extendere expediat? — Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum?

III. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta?

IV. An sub art. XI, § 2, in exceptione enuntiata illis verbis « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum », comprehendatur tantummodo Constitutio *Provida* Pii P. P. X; an potius comprehendantur quoque Constitutio *Benedictina* et cetera ejusmodi indulta impeditum clandestinitatis respicientia?

V. Num in imperio Germaniae, catholici qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem ab ea postea defecerunt, etiam in juvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant forman in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus? — Et quatenus affirmative?

VI. An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae exsistentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat?

VII. Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at jurisdictionem directe exercentes in personas et familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant?

VIII. Ubinam et quomodo parochi qui, terri-

torium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis assistere valeant?

IX. Ubinam et quomodo parochus qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis assistere valeat?

X. Num cappellani seu rectores piorum cujusvis generis locorum, a parochiali jurisdictione exemptorum, assistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione?

XI. An decreto *Ne temere* abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cujus et Curia episcopali peragenda sunt acta quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis?

XII. An et quousque expediat prorogare exsecutionem decreti *Ne temere* pro nonnullis locis juxta Ordinariorum petitiones?

Et E^mi^ Patres hujusmodi dubia ita respondendum censuerunt :

Ad I. — Negative.

Ad II. — Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.

Ad III. — Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales.

Ad IV. — Comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida;* non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS^mo^; et ad mentem.

Ad V. — Affirmative.

Ad. VI. — Negative, ideoque servetur decretum *Ne temere.*

Ad VII. — Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.

Ad VIII. — Affirmative in territorio cumulative habito.

Ad IX. — Affirmative quod suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SS^mo.

Ad X. — Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi jurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.

Ad XI. — Servetur solitum.

Ad XII. — Ad E^mum Praefectum cum SS^mo.

II. Responsa 28 *martii* 1908.

I. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta?

Resp. : Negative.

II. Num exceptio per Constit. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere localis aut etiam personalis?

Resp. : Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus : facto verbo cum SS^mo.

III. An Ordinarius et parochus nedum explicite sed etiam implicite, « invitati et rogati » dummodo tamen « neque vi neque metu gravi constricti requirant contrahentium consensum » valide matrimoniis assistere possint?

Resp. : Affirmative.

IV. An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, non autem quasi-domicilii?

Resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

V. Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato?

Resp.: Negative.

VI. Utrum sponsalia celebrari debeant dumtaxat coram Ordinario aut parocho domicilii aut menstruae commorationis, an possint etiam celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho?

Resp.: Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho dummodo intra limites territorii ejusdem Ordinarii aut parochi.

III. Responsa 27 *julii* 1908.

Dubia: I. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab unâ parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel duobus testibus subscribat?

II. An ad Sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni?

III. An vi decreti *Ne temere*, etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus?

IV. Utrum ad valide et licite matrimoniis adsistendum ad tramitem art. VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis?

V. An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit — in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere Sponsi-matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint ut valida?

VI. Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo jam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de quâ in art. VIII decreti?

VII. An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt : 1° exemptionem a praescriptionibus decreti in Sposalibus ineundis; 2° dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti?

VIII. Utrum subditi dioecesis Damaensis , in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali vel possint etiam coram parocho territorii?

IX. An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium adsistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio?

Resolutiones. Et E^mi^ Patres S. C. Concilii, in plenariis comitiis diei 27 julii 1908, respondendum censuerunt :

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua, praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.

Ad IV. Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinata et certo, ac restrictam ad territorium delegantis.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Quoad primum, negative. Quoad secundum, concedendam esse iis Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus; facto verbo cum SS^mo^.

De matrimoniis mixtis in Hungaria
(*27 febr. 1909*).

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, supplicandum SS^mo^ ut pro nunc

quod ad matrimonia mixta extendere dignetur regno Hungariae Constitutionem *Provida* pro Germania latam die 18 januarii 1906.

Ex audientia SS^mi^ diei 23 februarii 1909 : SS^mus^ audita relatione facta a R. P. D. Secretario, E^morum^ Patrum voto in omnibus benigne annuere dignatus est; et insuper conjugia mixta post publicationem Decreti *Ne temere* in regno Hungariae hucusque contracta, non servata ejusdem Decreti forma dummodo nullum aliud dirimens impedimentum obstet pro validis habenda esse voluit, idque expresse declaravit ac decrevit (*S. Congr. de Sacramentis*).

DE SCHOLIS

Instr. S. C. de Prop. Fide. — 25 *aprilis* 1868.

La erezione di Scuole e Convitti misti di cattolici et eterodossi, queda qualche tempo sventuratamente si va rendendo ogni giorno più comune, ha indotto la S. Sede desiderosa di provvedere alla sana istruzione del fedeli a richiamare in proposito i giusti principii, dare le opportune regole e porgere i necessarii avvertimenti tanto per organo dal S. Offizio, quanto della S. C. di Propaganda, secondo i casi che alla medesima sonosi denunciati. Nel presente foglio si è creduto conveniente di redigerne un compendio.

Sebbene vi abbia differenza tra la scuole protestanti e schismatiche, e generalmente parlando, maggiori forse siano i danni che hanno a temersi dalle prime, pur tuttavia non lasciano anche le

seconde di essere grandemente pericolose per la gioventù cattolica. Onde con circolare dei 20 marzo 1865, la S. Congregazione di Propaganda mentre rendeva avvertiti tutti i Vescovi Orientali del gravissimo pericolo, alquale sono esposti i giovanetti cattolici nel frequentare le anzidette scuole dirette dagli scismatici e protestanti, che vanno aprendosi, or più che in altra epoca, helle principali città dell' Oriente, ne eccitava altresi lo zelo ad impedire energicamente siffatta costumanza, impiegando anche all' uopo tutto il nerbo della loro ecclesiastica autorità. Ai Vescovi principalmente ed ai parrochi incombe l'obbliggo di usare le più solerti ed efficaci cure, onde persuadere i padri di famiglia non poter far essi cosa più pregiudizievole alla loro prole, alla patria ed alla nostra santa religione, che coll' esporre i proprî figli ad un così manifesto pericolo, che sarebbe, anche maggiore, qualora le scuole medesime fossero istituite col diretto intendimento di far proseliti all' eresia ed allo scisma. Ognun conosce quanta forza eserciti sull' animo giovanile l'autorità dei precettori, e come potentemente lo induca ad approvar tutto ciò che in essi scorge e da essi ascolta. Quindi avviene che in un coll' insegnamento contragga senza quas avvertilo i loro errori, e concepisca disprezzo della Religione cattolica. A ciò si aggiunga il conversare giornaliero e familiare coi giovani protestanti e scismatici, i cui costumi sovente corrotti, la indocilità, il mordace parlare controla nostra Santa Religione e contro la pratiche della Chiesa pervertono la mente e corompono il euore dei condiscepoli cattolici. Nè si creda già che da ogni peri-

colo vadano immuni quelle fra le anzidette scuole, il cui insegnamento riguarda la elementare istituzione, ovvero materie meramente profane; imperocchè oltre ai medesimi pericoli ch' esse presentano pel consorzio e familiarità coi condiscepoli educati nella eresia e nello scisma, porgono altresì ai precettori il mezzo d' ingannare la giovanile semplicità con arti quanto meno apprese altrettanto più efficaci. Tuttociò trovasi trattato in un analogo istruzione emessa dalla Suprema Congregazione del S. Offizio per la Svizzera sotto il giorno 26 marzo 1866.

Si è discorso fin qui dei giovani cattolici che frequentano le scuole protestanti e scismatiche. Passando ora a parlare dei giovani scismatici e protestanti che frequentano le scuole cattoliche, egli è chiaro che in questo secondo caso hon esistono pei giavani cattolici tutti quei pericoli che si dessero concorrere nel caso precedente: imperocchè essendo cattolico il precettore, cattolici l'insegnamento e i libri, hulla v' ha a temere da questo lato. Ed è perciò che questa S. Congregazione di Propaganda si è mostrata altre volte indulgente a tollerare o anche ad ammettere che helle scuole cattoliche istituide nelle Missioni e dirette dai missionarii si recevessero ed ammaestrassero dai precettori cattolici anche gli eterodossi. Non disconosceva però la stessa S. Congregazione che anche in tali scuole per direzione e per insegnamento cattoliche non mancherebbe qualche grave pericolo per l'ammissione dei detti giovani scismatici e protestanti a motivo principalmente del quotidiano contatto che questi avrebbero coi figli dei cattolici. La onde nel permettere tale

promiscuità fu sollecita di prescrivere alcune cautele necessarie specialmente a rimuovere dai giovanetti cattolici il pericolo di perversione, come pure dagli acattolici in pericolo d' indifferentismo. Gioverà indicare talune risoluzione prese in proposito da questa. S. Congregazione. Una particolare adunanza tenutasi ai 18 decembre 1742 fu di avviso potersi permettere ai missionnarî Cappuccini di Moscovia che oltre alle scuole di lingue straniere e di scienze indifferenti, che allora si tenevano pei soli figli dei cattolici altre ne potessero tenere per tutti gli acattolici, che volessero concorrervi, destinando all' uopo una camera separata. Certamente la separazione di camera elimina o almeno rende assai rimoti gli anzidetti pericoli che nascono dalle promiscuità di giovanicattolici ed acattolici e che formano appunto la principale difficoltà delle scuole miste, se pure possano dirsi propriamente tali nel caso che si assegni luogo distinto e separato ai discepoli eterodossi. Un tal metodo però di separazione assai difficilmente potrebbe adottarsi ovunque si per mancanza di luoghi e di mezzi, come pure per la esigenza di più maestri, di cui havvi ordinariamente scarsezza nei luoghi di Missione.

Sul finire dello scorso secolo i Padri Riformati Missionarî nell' Egitto superiore avevano aperto delle scuole in varie stazioni di quella Missione pei giovanetti cattolici, e ad esse concorrevano ancora i figli dei Copti scismatici.

La Congregazione generale adunatasi ai 29 agosto dell' anno 1794 opinò potersi ciò tollerare per allettare gli eretici copti al cattolicismo e non iritarli, agguingendo pero che « periculum

perversiones per magistrorum diligentiam removeatur ». Analogamente a questa risoluzione del S. Consesso fu scritto al Prefetto di quella Missione non doversi far difficoltà che i figli degli eretici vadano alle scuole cattoliche. Ma che siccome talvolta qualche giovanetto discolo eretico potrebbe pervertire alcuno dei cattolici, perciò i maestri debbano avera di ciò cura, e non ammettere nelle scuole i giovanetti eretici licenziosi. All' opposto moltissimo bene si deve sperare dalla frequenza degli eretici alle scuole cattoliche potendosi questi imbevere così dei sodi principî della nostra vera Religione, ed avendo agio i maestri d' insinuarsi nel loro spirito per guadagnarli alla Chiesa.

Omettendo altre consimili risoluzioni, giova riferire come nell' anno 1853 i Vescovi Armeni della provincia ecclesiastica di Costantinopoli riuniti in conferenze avendo annoverato fra i mezzi opportuni per la conversione degli scismatici nazionali anche quello di dare accesso ai loro figli alle scuole cattoliche, la Congregazione generale di Propaganda ordinò si scrivesse all' Arcivescovo Primate, significandogli che il mezzo proposto ravvisavasi molto acconcio a procurare la conversione degli scismatici, ma si richiedeva però un metodo assai prudenziale per non far nascere degli inconvenienti; che che due sono i pericoli che possono derivarne, il primo che i giovani scismatici pervertano in giovanetti cattolici, se non si prendono tutte le cautele per impedire che parlino a lungo fra loro; imperocchè avvenendo naturalmente che fra gli scismatici sianvi dei giovani astuti, di talento, radicati nello

scisma in forza della domestica educazione, e che tra gli allievi cattolici ve ne siano alcuni di scarso talento, e di poco sentimento religioso, facilmente i primi pervertirebbero i secondi. L'altro pericolo è di rendere ipocriti i giovanetti scismatici se venissero obbligati ad intervenire agli esercizi religiosi, al pari de figli dei cattolici, perchè in tal caso vi sarebbe pericolo che simulat sero la professione del cattolicismo contra la erronea loro coscienza; e si renderebbero proclivi all' indifferentismo. Si avverti poi lo stesso Monsig. Arcivescovo che non s' intendeva parlare di ammetterli ai Sagramenti, perchè in tal caso dovrebbe precedere la formale abiura e la sincera dichiarazione di ritornare alla religione cattolica. Per ultimo s' insinuò ai Vescovi dell' anzidetta provincia che per tener lontani tali pericoli dalle scuole, in cui insieme ai giovanetti cattolici ricevonsi anche gli scismatici, allorquando si riunirebbero in Concilio Provinciale, formassero un apposito regolamento per siffatte scuole miste da sottoporsi all' approvazione di questa S. Congregazione.

Resta finalmente a dirsi qualche cosa intorno all' ammissione dei giovani scismatici e protestanti nei pensionati e convitti cattolici. Non potrebbe però darsi una norma adequata e sicura applicabile a ciascun collegio, convitto o pensionato senza aver prima particolari ed accuratissime notizie sopra tutte quelle circostanze, dalla cui cognizione dipende appunto il giudizio che deve portarsi sull' andizetta promiscua convivenza di cattolici ed eterodossi.

Sarebbe quindi necessario di conoscere il preciso scopo del convitto, la condizione e l'età il

quelliche vi si ammettono, la qualità e il grado d' istruzione che vi si dà, il regolamento onde è ordinata l' interna disciplina, specialmente per ciò che spetta alle relazioni lequali passano fra i fanciulli (o fanciulle, se trattisi di convitto di sesso femminile) di diverso culto; se possano liberamente trattare e parlare fra loro, se sia ad essi proibito di ragionare intorno a punti religiosi. Altro articolo assai necessario a conoscersi è il modo con cui gli acattolici vengono diretti in materia di religione, vale a dire se vengono educati nella religione cattolica con o senza il consenso dei genitori; qualora non sono educati cattolicamente, se è dato loro il permesso od anche imposto l'obbligo di assistere in un coi cattolici alla S. Messa ed alla pratiche di pietà, se debbono astenersi sempre dal ricevere i Sagramenti, ovvero se sia loro permesso di recarsi a riceverli qualche volta hella lore chiese scismatiche, e chi ve li accompagni. Interessa ancora sapere quale sia in ciascun convitto il numero dei protestanti e scismatici, e in quale proporzione si trovi con quello dei cattolici.

